PETER SEABY
B

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/diosgenethlianat00pati

ΔΙΟΣ ΓΕΝΕΘΛΙΑ

NATALITIA IOVIS;

In numiſmate Imp. Antonini Caracallæ expreſſa.

EPISTOLA

CAROLI PATINI,

EQVITIS D. MARCI, DOCT. MEDICI PARIS.

& in Academia Patauina Medicinæ Profeſſoris.



PATAVII, M DC LXXXI.

Typis Ioannis Baptiſtæ Paſquati.

Superiorum Permiſſu.

Vetuſtas quidem habuit ſacrum; ſed poſteritas fecit eſſe ludibrium.

Caſsiod. var. l. 3. epiſt. 51.

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo D.

D. PETRO MAVROCENO,

SENATORI AMPLISSIMO,

Patrono ſuo colendiſsimo,

CAROLVS PATINVS.

MOs eſt non hodie notus, ſed iam inde ab litterarum origine receptus, vt qui monumenta ingenij ſui poſteritati commendare ac in lucem mittere conſtituunt, nomen ijs aliquod vel amici præponant, vel Magnatis atque patroni; vt ſub ejus veluti clypeo, a maleuolorum & maleferiatorum hominum ſpiculis tutiores eſſe poſſint. Quodquidem conſilium, cúm mihi ſemper ſummopere arriſit (tametſi cenſuras aliorum non nimium formidem, & æquiſſimo ſi quis alius animo feram) tum hoc imprimis loco, eò minùs negligendum eſſe puto, quod jamdudum aliquod meæ erga Te obſeruantiæ indicium in publicum edere percupio. Cedidit itaque peropportunè, vt nuper inter *κειμηλία* tua antiqua, quorum ingens eſt & numerus & pretium, in hoc Numiſma inciderimus, Tuque ænigma hoc, quod alijs videbatur in poſteriori ejus parte conſpicuum, vt ſoluerem, rogares. Non erat difficile petitioni tuæ extemplo ſatisfacere; ſed cùm hanc jamdudum captaſſem occaſionem, promiſi ſcripto me mentem meam ea de re proditurum. Quamobrem nemo, vti ſpero, mirabitur quòd Tibi pagellas has conſecrem, cúm nihil in ijs ſit quod Tibi non omni jure debeatur. Efflagitare a me idem videtur inſignis illa ſapientia, qua inter Sereniſſimæ Reipublicæ Proceres excellis, ne quid repetam de beneuolentia ſingulari, qua me jam a ſeptem annis, nihil tale merentem, complecteris. Audacter itaque ad numinum tuum accedamus, omni ex parte decorum.

Maximus ille eſt inter eos quibus maximi moduli nomen tribuitur, amplitudine ſcilicet, mole & pondere. Abunde noſti, Senator optime, hos inter cœteros ita magnifaciendos eſſe, quantum inter viburna cupreſſos, aut inter minores ſtellas, Lunam: Noſti præterea in hiſce maximis ſanctiora antiquitatis myſteria, ac reconditiorem eruditionem contineri: Noſti tandem hos ſolos NVMISMATVM nomen meritos, ab Imperatoribus de ſe benè meritis donari ſolitos, ab ipſo ortu nobiliſſimos exſtitiſſe; cúm reliquis cujuſvis aut metalli aut magnitudinis, tritus ac popularis monetarum vſus nobilitatis decus abrogare videatur.

His fortè, fortè etiam majoris momenti, rationibus impulſus Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus XIV, Heros pace ac bello clariſſimus, maxima ſua Numiſmata primúm edere conſtituit, Illuſtribus viris harumce deliciarum cupidis donanda. Munus certè regium erit, ſeu cœlaturæ artificium deſideres, quo nihil hactenus aut elaboratius aut gratioſius prodijt, ſeu rariſſimorum Numiſmatum numerum, quem ſexcentorum eſſe audio. Vanam aut tardam fore hanc meam ſpem vetant tum ſolita Regis magnificentia, tum Ianus clauſus, & pax aurea illius dono terra marique parta. Lugendum hic non prætermittam Petrum Seguinum, Numiſmatum poſſeſſione ac peritia, nón minús extra quam intra Galliam notum, qui quà valebat autoritate, opus hoc egregiè ac ſedulò promouiſſet; At & mihi & Reipublicæ litterariæ perijt.

Caracallæ tui characteres expendamus. *ΑΥτοκρατωρ Καισαρ Μαρκος ΑΥρηλιος* ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ in latinis nummis ita exprimi ſolent: IMPerator Cæſar Marcus AVRelius ANTONINVS. Solennis erat illa IMPERATORIS vox, quæ priſco æuo exercitus ducem ſignificabat, tandem ſumma rerum potenti affixa eſt; qui mos a Iulio Cæſare ad noſtra vſque tempora nulla intermiſſione fluxit. Sic Cæſar interdum ille dicebatur qui imperio regendo deſtinatus eſſet; illius tamen denominationem ſibi ſumpſerunt Imperatores omnes in nummis, marmoribus, alijſque monumentis. Deuicto autem Albino, Seuerus *CAESAREM Baſſianum filium ſuum Antoninum a Senatu appellari juſſit, decretis imperatorijs inſignibus*, vt ex Spartiano colligitur, *cap.* 14. Marcus nuncupatur, quòd *Seuerus ipſe in Marci* (Aurelij) *familiam tranſire voluerit*, ſcribente eodem Spartiano, *cap.* 10. AVRELIVM ANTONINVM deſignat nummus, cujus rationem exponit idem Spartianus, loco citato. *Cùm Seuerus iret contra Albinum, in itinere apud Viminatium, filium ſuum majorem Baſſianum, appoſito AVRELII ANTONINI nomine, CAESAREM appellauit, vt fratrem ſuum* (pro ſuo reponerem *ejus*) *Getam ab ſpe imperij quam ille conceperat, ſubmoueret*. Et nomen quidem ANTONINI idcirco filio appoſuit, *quòd*

ſomniauerat

ſomniauerat ANTONINVM ſibi ſucceſſurum , quod ipſum Getæ alteri ſuo filio in honorem Marci , ANTONINI nomen impoſuit , ex Spartiano , cap. XIX. Quin & idem notat cap. XX. *Immoderatiſſimè , cùm moreretur , lætatum fuiſſe , quòd duos ANTONINOS , pari imperio , Reipublicæ relinqueret , exemplo Pij qui Verum & Marcum ANTONINOS , per adoptionem filios , Reipublicæ reliquit . Hoc melius , quòd ille filios per adoptionem , hic per ſe genitos , rectores Romanæ Reipublicæ daret , ANTONINVM ſcilicet Baſſianum , & Getam .*

Huic veſani Imperatoris nummo multa deſunt cognomina , vt GERMANICI , BRITANNICI , PARTHICI , *quæ porrò vel joco vel seriò , vt erat ſtultus vel demens , ſæpe aſſumpſerat , aſſerens ſi Lucanos viciſſet , LVCANICVM ſe appellandum* : ita ſcribente Spartiano cap. V. *Non abs re* , inquit idem cap. X. *diaſyrticum quiddam in eum dictum addere : Nam cùm GERMANICI & PARTHICI & ARABICI & ALEMANNICI nomen adſcriberet (nam Alemannorum gentem deuicerat) Heluius Pertinax filius Pertinacis* Imperatoris *dicitur joco dixiſſe ; adde ſi placet etiam GETICVS MAXVMVS , quod Getam occiderat fratrem , & Gothi Getæ dicerentur , quos ille dum ad Orientem tranſijt , tumultuarijs prælijs deuicerat* . Cujuſquidem fratricidij occaſione adjungam ejuſdem Spartiani verba , in Geta , cap. 2. *Baſſianus cùm Getam occidiſſet , ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam , audiretque poſſe mitigari facinus , ſi DIVVM fratrem appellaret , dixiſſe fertur , ſit Divus dum non ſit vivus* . Papiniano deinde mandauit vt in Senatu per ſe & apud populum , facinus dilueret , ille autem reſpondit , *non tam facilè parricidium excuſari poſſe quàm fieri* : cap. 8. Non prætermittendum eſt , Imperatorem cujus nummum explicandum ſuſcepimus , CARACALLAE nomen accepiſſe , a veſtimento quod populo dederat , demiſſo vſque ad talos, quod ante non fuerat , vnde hodieque *Antoninianæ* dicuntur caracallæ hujuſmodi , in vſu maximè Romanæ plebis frequentatæ : Id tamen CARACALLAE nomen nuſquam nummis inſcriptum animaduertimus .

Ferocem Caracallæ vultum nummus exhibet , *is* enim *fuit malè moratus & patre duro crudelior* , inquit Spartianus , cap. 9. naturam arte adjuvante : Quare *Auſonia fera* Αὐσόνιος θὴρ à Xiphilino dictus eſt . *Egreſſus quippe pueritiam ſeu patris monitis , ſeu calliditate ingenij ſiue quòd ſe Alexandro Magno Macedoniæ æquandum putabat , reſtrictior , grauior , vultu etiam truculentior factus eſt . Alexandrum Magnum ejuſque geſta in ore ſemper habuit* : cap. 2. Rem fere eamdem tradit Aur. Victor, cap. 12. *Truci fronte & ad læuum humerum conuerſa ceruice , quod in ore Alexandri notauerat incedens , fidem vultus ſimillimi perſuaderet ſibi* . Meminit Dionis abbreuiator , Caracallam ſe Alexandrum *Orientalem Auguſtum* appellaſſe ἑῷον Αὔγουστον . Affectatam præterea ferocitatem.

tem conijcimus ex barbæ pilis labium ſuperius veſtientibus , quos Lacones μύσταχα nominabant , a quibus certè ad Gallos fluxit vox *mouſtache*. Armatam cernimus Caracallæ πρότομην , eo prorſus more quo Heros ille Macedo a Lyſippo ſculpi conſueuerat , imperatoria chlamyde purpureo murice tincta , clauis aureis diſtincta , fibula alligata , ab humeris ſupra loricam prendente . Quin & *ſub veſte Senatoria loricam habens cum armatis militibus nonnunquam in Curiam ingreſſus eſt* , vt ex Spartiano colligitur , *cap.* 2.

An nimium eſſet extra oleas vagari , qualis fuerit Caracallæ mater inueſtigare : Ab hiſtoricis quippe controuerſum eſt an Iulia Domna Seueri vxor , ipſi mater fuerit , an nouerca . Dio quidem , Herodianus , Spartianus , Eutropius , & Aur. Victor , conceptis verbis poſteriorem tuentur opinionem . Hæc ſunt Spartiani verba in Seuero , cap. 3. *Tribunus plebis vxorem Marciam duxit , de qua tacuit in hiſtoria vitæ priuatæ , cui poſtea in imperio ſtatuas collocauit .* Item . *Cùm amiſſa vxore aliam vellet ducere , & genituras ſponſarum requireb at , ipſe quoque matheſeos peritiſſimus , Et cùm audiſſet eſſe in Syria quamdam quæ id genituræ haberet vt Regi jungeretur , eandem vxorem petijt , Iuliam ſcilicet , & accepit interuentu Amicorum ; ex qua ſtatim pater factus eſt .* Item , cap. 14. *Rumore belli Parthici extincto , patri , matri , auo , & vxori priori per ſe ſtatuas collocauit .* Item , cap. 20. *Antoninos duos rectores Romanæ Reipublicæ reliquit Seuerus , Antoninum ſcilicet Baſſianum quem ex priore matrimonio ſuſceperat , & Getam quem de Iulia genuerat .* Item in Geta, cap. 7. *Occidere voluit* Caracalla *& matrem Getæ, nouercam ſuam , quòd fratrem lugeret .* Deinde apud Aur. Victorem , cap. 21. *Fuit impatiens libidinis , quippe qui nouercam ſuam duxit vxorem .* Curioſum eſt quamuis fortè nimis obuium vtriuſque colloquium : *Intereſt ſcire* , inquit Spartianus, cap. 10. *quemadmodum nouercam ſuam Iuliam vxorem duxiſſe dicatur ; quæ cùm eſſet pulcherrima , & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet , dixiſſetque Antoninus , Vellem ſi liceret , reſpondiſſe fertur , ſi libet , licet ; an neſcis Te Imperatorem eſſe , & leges dare non accipere ? Quo audito furor incenditus ad effectum criminis roboratus eſt , nuptiaſque eas celebrauit , quas ſi ſciret ſe leges dare verè , ſolus prohibere debuiſſet . Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit vxorem , ad parricidium junxit inceſtum , ſiquidem eam matrimonio ſociauit , cujus filium nuper occiderat .*

Auerſi nummi typum varijs interpretationibus explicatum , controuerſiam non ignobilem Venetijs peperiſſe abunde noſti , Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine . Vnam præ cœteris ingenioſiſſimam prodidit Vtinenſis ille Nobilis , morum ſuauitate juxta ac eruditione ſingulari commendandus , Tibi vt notiſſimus ſic & gratiſſimus , quam ex ejus litteris confirmatam publici juris lubens facis .

Ill.

Ill. D. CAROLO PATINO, Equiti, D. col.
ANTONIVS GRIPHONVS, S.

Opinionem meam quæris, Illuſtriſſime Domine, ſuper numiſmate antiquo maximo & inſigni Caracallæ, exiſtente in gaza celebri Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini PETRI MAVROCENI Senatoris Veneti DD. mei ſublimis. Dicam igitur quod ſentio, hac tamen lege, vt meliori tuo Oedipo judicium meum ſubmittam.

Numiſma ergo, ni fallor, in aduerſa parte quaſi nouam tabulam Cebetis ſuccinctè repræſentat. Video enim mulierem ſtantem cum panno circa caput volitante, ſuper quo figuram armatam ſedentem, in cujus manu dextera, calamus, ſiniſtra ſcutum. Mulier prædicta tenet in ſiniſtra puerum, cui pariter a ſiniſtra pendet Y character Pythagoræ, tenetque mulier ipſa pedem ſiniſtrum ſuper globum, qui referre videtur cranium hominis.

Non aberrare ego videor, ſi vitam humanam ipſam mulierem cenſeo; puerum cum biuio, pueritiam; mulierem conſiſtentem, virilitatem; cranium, ſenectam. Figuram ſedentem in capite mulieris, virtutem litterariam exiſtimo, habentem ante oculos aquilam volantem, quæ ſpeculationes ſublimes indicat: Caput autem inuolutum, ignorantias exhibet humanas.

Apparent inſuper duo milites tentantes offendere virtutem, quos arbitror arma aduertantia litteris, quibus ſecuritatem præſtat mulier, quæ cùm manum capiti admoueat, ſecuritatem præ ſe fert. Stat etiam Fortuna independens ab extra, & duæ Prouinciæ decumbentes quaſi deffenſæ ab armatis; & ipſæ Prouinciæ ab vno & altero latere vitæ humanæ, quaſi vitam & virtutem tuentes.

Hæc ſunt quæ vt tibi morem gererem in medium protuli: Vt & moræ ſpatium & ingenij tenuitatem excuſes, non rogo, id enim ſponte facturus es. Vale. Venetijs, X. Nou. MDCLXXIX.

Egregiam hanc conjecturam accuratè quantumuis inueſtigent harum-ce deliciarum amatores: Mihi verò perſuadere non poſſum aut Græcos aut Romanos iſta moralium ſymbolorum ſubtilitate luſiſſe. Virtutes quidem ac eiuſmodi attributa non raró ſuis nummis conſignauere, at minus exponendæ philoſophiæ conſilio quàm illuſtrandæ hiſtoriæ factum opinor. Quare de illa vt de pluribus alijs, vulgari adagio fari liceat, *ſe non è vero, è ben trouato*. Pari libertate meam interpretationem exponi patiaris, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, cujus Te ſummum judicem & arbitrum lubens recipio: Ad illam itaque propero.

Natalitium Iouis diem ſeu ΔΙΟΣ ΓΕΝΕΘΛΙΑ nummum repræſentare opinor, æuiterni illius Dei originem. Rhea ſuſtinet infantem quem recens enixa, a Saturni furore ſeruare conatur. Corybantes armis

clipeiſque

clipeiſque ſtrepitum edentes, parturientis clamores & infantis vagitum occultant. Adſtat Fortuna *rerum humarum domina*, vt ait Cicero; diſcumbentibus hinc inde ſenibus, fluvijs ſcilicet Laodicæam, in qua nummus cuſus eſt, alluentibus. Hæc autem γλίσχρως ac minutatim perpendantur.

Ἐκ Διὸς ἀρχόμεθα, inquit Aratus, quem æmulatus Maro, *A Ioue principium* dixit. Ioues plures in priſcis Græcorum litteris inuenimus, inquit Cicero, *de nat. Deorum*. Varro & poſt ipſum Tertullianus, *in apolog cap.* 14. trecentos Ioues ſiue Iupitores introducit, ad quos omnia fere gentium numina referebantur.

Βῆλος ἐπ᾽ Εφρήταο, Λίβυς κεκλήμενος Ἄμμον,
Ἄπις ἔφυς Νείλωος, Αραψ Κρόνος, Ασσυρίος Ζεύς.

inquit Nonnus, *in Dionyſiac. l.* 40. *v.* 397. hoc eſt, *Belus Euphratenſis, Libycus vocatus Hammon, Apis es Niliacus, Arabs Saturnus, Aſſyrius Iupiter*: Adeo vt non minùs mirari debeamus Gentium in numerandis ſuis Dijs diuerſitatem quàm multiplicitatem, πολυωνομίαν quàm πολυθεότητα. Id explicat Euſebius Cæſarienſis, l. 3. præpar, euang. *Omnes ſcilicet nationes pro Deo ſibi Iouem conſtituiſſe, diuerſis nominibus nuncupatum, eundemque apud ſe natum*. A vetuſtiſſimis philoſophis Ζεὺς nuncupatus eſt, penes quem eſt vita, lux, & omne bonum; cui opponebatur Ἅδης Pluto, pro morte, tenebris, & omni malo deſignatus. Quibus morem gerens Hippocrates noſter, l. 1. de diæta, c. 5. *nihil gigni neque prorſus interire* aſſerit, *ſed a luce produci in tenebras, ab his in lucem*: Τὸ μὲν ἐξ ἅδου ἐίς φῶς αὐξηθὲν γίνεσθαι τὸ δὲ ἐκ του φάεος ἐις ἅδην μειωθὲν ἀπόλέσθαι. Quandoquidem a Laertio *in proœmio*, nominibus boni & mali Dæmonis comprehenditur, ἀγατοῦ καί κακοῦ δαίμονος: hæc enim a Magis Stoici didicerant. *Iupiter veſter modò imberbis ſtatuitur*, inquit Minucius Felix, *modò barbatus locatur; Et cùm Hammon dicitur, habet cornua; Et cùm Capitolinus, tunc gerit fulmina; Et cùm Latiaris, cruore profunditur; Et cùm Feretrius, non auditur; Et ne longiùs multos Ioues obeam, tot ſunt Iouis monſtra quot nomina*. Sunt qui nomen acceptum putant a Ioue contractum, idem videtur quam ſacratiſſimum Hebræorum nomen IEHOVA: *Ille eſt Iupiter quem Deum principem dicitis rerum omnium conditorem*, inquit Arnobius, *l.* 7. *contra gentes*, quique a Celſo ὁ μεγας θεός, ὕψιστος, Ζεὺς, Αδώναιος, Σαβαώθ, Αμμοὺν, Παπαῖος: Abutentibus gentibus ſanctitate nominum Sabaoth, Adonai, & Schaddai, quæ Ioui ſuo etiam tribuebant. Conſulatur Origenes, *in exhort. ad martyr.* atque ad ipſum eruditæ Cl. Veſtenij notæ. Præclarum in hanc rem audiamus D. Hieronymi teſtimonium,

tom.

tom. 3. epiſt. ad Damaſum : *Abſit , inquit , vt de ore Chriſtiano ſonet IVPITER OMNIPOTENS , & ME HERCVLE , & ME CASTOR , & cætera magis portenta quàm numina .* Origenes præterea l. 4. contra Celſum ; *Quapropter nos his & ſimilibus fabulis offenſi , nullomodo ferimus Deum maximum vocari IOVIS nomine ,* &c. Illum porrò naſcentem videmus in numiſmate , quem ad Homeri exemplum nuncupat Cicero, *Divum hominumque patrem* , l. 2. de nat. Deor. quemque *Optimum Maximum* dixit , *cujus nutu & arbitrio , cælum , terra , mariaque reguntur :*

Iuppiter omnipotens , rerum , Regumque , Deumque
Progenitor , genitrixque Deum , Deus vnus & omnes .

Eleganter docet idem Tullius , *opinionem de Dijs immortalibus & omnium eſſe & quotidie creſcere* ; cui ſi Arnobij , *l.* 7. teſtimonium ſubjungamus, Paganos irridentis , *ab opinione factam eſse eorum religionem* facilè cum ipſo concludemus : Quippe cùm *ſuos Deos natos eſſe profeſſi ſunt , & ex maſculorum fœminarumque ſeminibus conuentionum lege progenitos . Hinc DIES illis erant NATALICII* ex eodem Arnobio , *& potentias cælites autumant habere NATALES .* Ritum inde ſolemnem narrat Herodotus, *in Clio , l.* 1. Græcos a Perſis morem epularum ſumpſiſse eo die quo quiſque natus eſſet , quod paſſim etiamnum obſeruatur . Θεογενίαν ampliſſimè ſcripſit Heſiodus , Deorum ſcilicet generationem , originem , ſtirpem : At certè Natalitiorum Iouis myſterium ac cærimoniam exactiùs exhibet Numiſma hoc tuum , Senator Excellentiſſime : In cujus confirmationem tria hìc ſubjungam , plura porro prætermittens , quæ IOVI CRESCENTI, & IOVI IVVENI , & imberbi ſiue ANXVRI dicata ſunt : Quorum alterum a Prætore SABINO in



honorem Domitiani percuſſum eſt : Alterum verò a Stelæis Cretæ populo , Caracallæ oblatum eſt : Στῆλαι πόλις Κρήτης , πλησίον Παραισοῦ καὶ Ρυθίμνης . inquit Stephanus : *Stelæ vrbs Cretæ juxta*

Paraſum & Rythimnem . Medium quidem ex eorum eſt ordine quæ vulgò *Contourniata* nuncupantur , quorum ſi Deus nobis otia fecerit , explicationem breui vulgabimus . Et illud eidem Antonino Caracallæ dicatum eſt , quem fortè Ioui lactenti comparauit ille qui Nummum cudit : In eo Iuppiter vberibus capræ è fonte bibentis appenſus cernitur; quippe

——— ——— ——— ——— illa putatur
Nutrix eſſe Iouis , ſi verè Iuppiter infans
Vbera Cretææ mulſit fidiſſima capra ,
Sidere quæ claro gratum teſtatur alumnum :

inquit Germanicus Cæſar , *in Aratæo carmine* . Narrat Lactantius , l. 1. *Creticum Iouem ſubſtractum patri , ab Amaltheæ nymphæ capella enutritum, quæ vberibus ſuis aluit infantem* : Et cap. 22. *Amaltheam & Meliſſam , Regis Cretenſis filias , Iouem puerum caprino lacte ac melle nutriuiſſe* .

Naïs Amalthea , Cretæa nobilis Ida
Dicitur in ſiluis occuluiſſe Iouem.

vt canit Ouidius , l. 5. Faſtor. indeque Cretam *Ioui ſacram* ab antiquis dictam , *Iouiſque magni inſulam* , vt apud Virgilium . Hujus quidem capellæ corio, pro ſcuto vſum eſſe Iouem contra Titanes dimicantem perhibetur : A quo αἰγίοχος Ζεύς nuncupatus eſt ; αἶγα quippe *capram* ſignificat ; quæ τὴν ὄχην ſeu nutrimentum infanti exhibuerat : Hæc quidem apud Hyginum fusè declarata ſunt, *l. 2. poëm. aſtr. c.* 13. Sed ad tuum Nummum redeo. Iouis ſignificationem adjuvat adpoſita aquila *auium Rex* οἰωνῶν βασιλεὺς , a Pindaro nominata , quæ ſeu ipſi contra Titanas proficiſcenti aduolauerit , auſpiciumque fecerit , vt ex Lactantio & Arato patet ; ſeu contra gigantes dimicanti fulmina miniſtrauerit , *ipſius armigera* dicta eſt , & continuò dicata . Vnde natum adagium Ζεὺς ἀετὸν εἵλετο : *Iupiter aquilam delegit*. Vt aquila in nummo conſpicua eſt , ſic cuperem ſuem in illo ſculptum eſſe , ob narrationem Athenæi , *l. 9. c.* 4. ex Agathocle Babylonio : Μυθεύουσιν ἐν Κρήτῃ γένεσθαι τὴν Διὸς τέκνωσιν καὶ τὰ λ. Hoc eſt , *Fabulantur Iouem in Creta natum , in monte Dicta , & ſuem illi ſugenda vbera præbuiſſe, & circumcurſantem grunnitu ſuo impediſſe , ne illius vagitus poſſet intelligi ; ideo omnes animal venerantur , nec quemquam adduxeris vt veſcantur carne ſuilla* .

Nummulum Tibi exponere liceat , Senator ampliſſime , qui quamuis neutra facie ad argumentum noſtrum facere videatur , vtraque tamen illud illuſtrat : Præterea cùm ſit ille eximiæ raritatis , parentheſeos veniam a Te impetraturum me non diffido . ALEXSANDER tum ex facie imperio digna cognoſcitur , tum ex

Leonis

Leonis exuvijs, Macedonum Regum ſcilicet Herculis ſucceſſorum capita egregiè ornantibus, *Paternum enim eorum genus ab Hercule*, inquit Plutarchus, tum ex manifeſtis characteribus Pellæum Heroëm indicantibus. Vtinam cœtera conſtarent temporum injuria plane abraſa; conijcerem porrò ſuffragantibus alijs nummis eundem repræſentantibus, MACEDO olim inſcriptum fuiſſe.



Capra puerum ſeu Iouem lactat in auerſo nummo; fortè etiam capellam, neque enim certò conſtat quale ſit illud animal ejus vberibus appenſum, cum inſigni epigraghe, at ea etiam mutila: Quàm vellem reliquum legi vt DEI FILIVS. Hoc epithetum ad Alexandrum referri nullus inficiabitur qui Strabonem legerit *lib.* 7. Arrianum, *lib.* 3. Diodorum, *lib.* 17. Curtium & Plutarchum, memineritque pontificiæ ſalutationis, *ὦ παιδίος*, *O fili Iouis.* Tritum eſt omnem ferè ætatem Deos nuncupaſſe vel Dijs ſimillimos & pares *ἰσοθέους* atque Dijs genitos, qui virtutem heroicè profeſſi erant, de quo Homerus, *iliad. ω.* Socrates *apud Platonem*, & Ariſtoteles, *lib.* 7. *moral.* Vtrumque nummi typum ad Caracallam retorquere, majoris quàm par eſt audaciæ fortè damnabis, at ipſe vt ſupra dictum eſt *Alexander* nuncupari ſtuduit, quem imitari gloriabatur. Præterea obſeruandam præbet nummulus ſingularem ſcribendi formulam, dum ALEXSANDER ſuperflua litera S inſignitus eſt, cujus varia exempla multi nummi ſignificant, in quibus PAXS, ALEXSANDREA, MAXSVMVS, ex noſtro muſæo conſpiciuntur. E diuerticulo reuertamur in viam.

Opis in medio nummo cernitur, Iouem quem illico pepererat ſiniſtra ſuſtinens, dextra veſtem expandens ac caput ſeque totam forte pudoris cauſa obtegens. Hæc Saturni fuit vxor, *Ops dicta quòd opem eſurientibus ferret*, inquit Fulgentius, *l.* 1. *myth.* per quam volunt terram ſignificari, *quia omnes opes humano generi terra tribuit*, inquit Feſtus. Varro apud Auguſtinum, l. 7. c. 24. *Tellurem*, inquit, *putant eſſe Opem, quòd opera fiat melior*: Et l. 4. de LL. *Terra Ops*,

 quod

quod heic omne opus ; & hac opus ad viuendum. Cœterùm Opis pro Ops antiquitus & ἀρχαικῶς dicebatur, vt *trabis* pro *trabs* apud Iul. Obſequentem, de prodig. c. 60. *bouis* pro *bos*, *nucis* pro *nux*, *ſuis* pro *ſus*, de quibus Scaliger, *ad Feſtum*. Illam autem varijs nominibus indigitant antiqua monumenta, in quibus paſſim Cybele, Rhea, Berecynthia, Veſta, Mater Deum, Mater magna, Terra Dea, Dea Phrygia, Bona Dea, Fauna a fouendo, Fatua a fando, Idæa, Dindymene, Sipylene, Peſſinuntia, & Paſithea, quaſi πᾶσι θεοῖς μήτηρ, *omnium Deorum mater* nuncupata eſt. Huic animalium corda ſacrificabant Veteres, quod hæc, vt illam, crederent viuificæ generationis cauſam. Saturno deſponſatam tradidit antiquitas:

—— —— Dij nempe ſuas habuere ſorores,
Vt Saturnus Opim junctam ſibi ſanguine duxit,
Oceanus Thetin, Iunonem rector Olympi.

ex Ouidio, l. 9. metam. Sic Terram eleganter Cœlo conjunctam fuiſſe creditum eſt: Saturnus quippe Cœli filius Κρόνος ac deinde χρόνος, hoc eſt, *Tempus*, dictus eſt, cum falce repræſentatus qua ſecaret omnia, præterita ſcilicet, præſentia & futura. *Ex ſe natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit ætas temporum ſpatia, anniſque præteritis inſaturabiliter expletur*, inquit Cicero, *l. 2. de nat. Deor.* Anni diſtributionem Ægyptij ad hanc noſtram Rheam referunt, quam fabula inuolutam ita poſteris tradiderunt, ex Plutarcho, l. de Iſide. *Dicunt Rheam cum Saturno occultè congreſſam eſſe, Solem imprecatum vt illa neque in menſe, neque in anno pareret. Mercurium alea ludentem cum Luna viciſſe, & cujuſuis diei partem abſtuliſſe ſeptuageſimam, ex quibus omnibus confectas dies quinque diebus CCCLX adjeciſſe, quas Ægyptij nunc* ἐπαγομένας *vocant & Deorum Natales.* Puerperium exhibet nummus Antonini Pij ab Ill. Seguino explicatus *in ſelect. numiſm.* ad Opem & ad Iouem eruditè relatus, quem hic repetere ſuperfluum duco. Quantùm autem diligenter accurateque Nummus ille tuus quæ potuit expreſſerit, ex ipſa Rheæ veſte patet, quam variegatam vt finxerunt Antiqui, ſic oculis ſubijcit, colorum atque florum diuerſitate Phrygionio opere interſtincta, exſtantiam non obſcurè demonſtrante.

Laodicenorum erga Cibelem, quæ cum Rhea eadem eſt, religionis cultuſque teſtes ſint nummi plurimi ærei ex omni magnitudine, Deam turritam repræſentantes, aut cum Atide quadrigæ Leonum impoſitam, aut inter ſuos Leones ſedentem, aut Leoni currenti inſidentem, crotalum tenentem, aut cum Ioue Philalete loquentem,

aut

aut cum Pergamo ciuitate dexteram jungentem, aut denique ſtantem in hoc egregio Sabinæ nummo maximi moduli, ex Regis Chriſtianiſſimi theſauro. Faxit Deus vt maximi iſtius Principis menti ſatisfaciant illi quibus hæc cura mandata eſt, & ad æternum Reipublicæ litterariæ decus, Gallicus Hercules pacis artibus non minùs audiat Muſagetes, quàm belli temporibus aut Alexicacus, aut Inuictus. En ille Sabinæ nummus.



Tres illi milites armati, colliſis ad ſcuta clipeis, crebros edentes ſtrepitus vt occulto partui fauerent, & inſolenti excitato murmure, infantis vagitus & parturientis clamores non exaudiri permitterent, mihi videntur Curetes, de quibus hanc fabulam ſcripto reliquit Hyginus.

CXXXIX. CVRETES.

Poſtquam Opis Iouem ex Saturno peperit, petit Iuno vt ſibi eum concederet, quoniam Saturnus Orcum ſub Tartara dejecerat, & Neptunum ſub vndas; quòd ſciret ſi quis ex ea natus eßet, ſe regno priuaret. Qui cùm Opem rogaret, vt eſſet quod illa peperiſſet, illa lapidem inuolutum oſtendit, eum Saturnus deuorauit. Quod cùm ſenſiſſet, cœpit Iouem quærere per terras: Iuno autem Iouem in Cretenſi inſula detulit. Adamantæa pueri nutrix eum in cunis in arbore ſuſpendit, vt neque cœlo, neque terra, neque mari inueniretur. Et ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes conuocauit, eiſque clipeola ænea & haſtas dedit, & juſſit eos circum arborem euntes crepare, qui græcè Curetes ſunt appellati, alijs Corybantes dicuntur: hi autem Lares appellantur.

Quàm multa variaque de Curetibus tradidit antiquitas, ac præcipuè Strabo, *l.* 10. Satyros, Silenos, Bacchos, Tityros, Lenas, Thyias, Mimallones, Naïades, Nymphas, aliosque dæmonas, Deorum miniſtros Curetes nuncupant, interdum etiam Corybantes & Cabiros.

 Hæc

Hæc ſunt Strabonis verba : *In Creta peculiariter etiam Iouis ſacra peraguntur cum orgijs . Curetas appellabant juvenes quoſdam qui in armis ſaltarent . Adduntque de NATALIBVS IOVIS fabulam , Saturnum ſolitum filios , vt primùm nati fuiſſent , deglutire . Rheam autem conatam occultè dolores partus habere & infantem editum è medio abducere , ac quantum fieri poſſet ſeruare : vſam ad hoc adjumento Curetum qui tympanis alijſque ſtrepitum edentibus , inſtrumentis adhibitis armati ſaltarent , cum tumultu circa Deam , Saturnum terrerent , filiumque ei ſubducentes fallerent: eadem quoque opera traditum ab ijs enutritum Iouem .* Curetes quaſi curatores dictos eſſe putant , vel quia Iouis κουροτροφίαν, id eſt alimoniam ſunt operati , vel quia ei miniſtrarent . Quod exponit Suidas cùm Curetes fuiſſe *Iouis nutritios & cuſtodes* aſſerit .

Commemorat Arnobius aduerſus gentes l. 3. *Curetes illos qui occultaſſe perhibentur Iouis æribus aliquando vagitum , modo digitos Samothracios quos quinque indicant Græci , Idæos dactylos nuncupari .* Et alibi : *Nunquid beneficio Curetum ab interitu ſeruatum Iouem ?* Quem deinde in abdita montis Idæ loca abduxerunt ; Inde Creta *Iouis magni inſula* dicitur . Ad rem noſtram facit commentum Seruij , in l. 4. Georg. p. 149. *Iouem Ops Saturni vxor Curetibus , Corybantibus & Idæis Dactylis cuſtodiendum dedit , in monte Cretæ Dictæo , ne eum Saturnus conſumeret , vt filios omnes ſolebat .*

Dictæos referunt Curetas qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultaſſe feruntur ,
Cùm pueri circum puerum pernice chorea
Armati , in numerum pulſarent æribus æra .
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus
Æternumque daret matri ſub pectore vulnus .

Hæc Lucretius , l. 2. Rariſſimum nummum non prætermittam , Anton. Caracallæ dicatum , IOVEM DICTAEVM celebrantem à Praſijs cuſum , Cretæ populo , de quo videſis Strabonem , *l. 7. c. 17.* & eruditas Th. de Pinedo notas , *ad Stephanum* , *in* ΠΡΑΙΣΟΣ . Sedet Numen fulgur tenens , circum quem legitur ΖΞΥC ΔΙΚΤΑΙΟΣ, & infra , ΠΡΑΣΩΝ . Paſſim autem Cabiri potentiſſimi habebantur. Αποτροπαῖοι Θεοι, ἀλεξίκακοι, λύσιοι , φύξιοι , dicti ſunt auctore Iul. Polluce ; *Emiſſarij Dei , depulſores malorum , auertentes , ſoluentes , fugantes mala :* Hos Varro , *l. 4. de LL.* Θεούς μεγάλους , Θεοὺς χρίστους , Θεοὺς δυνάτους nuncupat , & juxta illum Macrobius , Saturn. l. 3. Deos magnos , Deos bonos , Deos potentes . De ijs fusè Apollodorus , *l. 6. de Dijs* , & Pauſanias , *in Bœoticis* .

Quidam velo res Cretenſes ac Phrygias edidere , ſacrificijs nonnullis implicitas partim myſticis , partim aliquo pacto contentas tradidere , vti

IOVIS

IOVIS INFANTIAM in Creta educati, matriſque Deorum cerimonias in Phrygia, & in Ida Trojanæ locis celebrandas. Quibus certè in ſermonibus magna varietas eſt, cùm alij eoſdem eſſe Curetas, & Corybantes, & Cabiros, & Idæos Dactylos, & Telchinos oſtendant. In hoc autem vniuerſi tradunt eſſe quoſdam ſpiritibus afflatos, & Bacchicas, inque armorum agitatione tumultuoſa, & cum ſpiritu ac fragore cymbaliſque ac tympanis & armis item, atque tibijs vociferationibuſque inter ſacrificandum ſtupefacientes. Hæc Strabo, *l.* 10. De quo iterum audiamus Germanicum Cæſarem in Aratum:

——— ——— ——— Meritum cuſtodia fecit,
Quod fidei comites prima incunabula magni
Fuderunt Iouis attonitæ, cùm furta parentis
Ærea pulſantes mendaci cymbala dextra
Vagitus pueri, patrias ne tangeret auras,
Dictæi exercerent dominæ famuli Corybantes.

Curetum myſterijs initiati Deos habere in periculis præſentiſſimos credebantur, ac præcipiè omnem maris tempeſtatem euaſuri; deinde ſanctiores juſtioreſque fieri. Ideo Heröes multi eorum ritibus imbuti ſunt, Iaſon, Caſtor, Pollux, Hercules, Orphæus, ex Diodoro, *l.* 5. *p.* 223. Vlyſſem & Agamemnonem pariter initiatos fuiſſe docet Apollonij Scholiaſtes, *Argon. l.* 1. *v.* 915. Tarquinius Demarathi Corinthij filius Samothracijs religionibus myſticè incluſus eſt, inquit Macrobius, *Saturn. l.* 3. *c.* 4. Ipſum etiam Philippum Alexandri M. patrem initiatum refert Plutarchus, *in Alexandro*.

Nummus repræſentare videtur *æreos Cabirorum balteos pictaſque tunicas & aſtrictas fibulis prætextas, trabeas nuncupatas*, quibus illos ornari aſſerit Dionyſius Halic. l. 2. *Accinguntur deinde*, inquit idem, *ſinguli gladio, dextra tenentes lanceam aut virgam, ſiniſtra verò ancile Thraciæ cetræ ſimile. Id ſcutum eſt oblongum, & anguſtius qualia dicuntur eſſe apud Græcos geſtamina eorum qui ſacris Curetum initiati ſunt*: Quæ omnia trium militum in nummo expreſſorum habitum accuratiùs exprimere nequeunt. *Æreas* etiam *galeas criſtis pennatis inſignes* idem commemorat, l. 7. Tres autem illos milites exiſtimo deſcriptos fuiſſe a Strabone, l. 10. *ex Vulcano & Cabira Protei filia natos, quibus tres aræ in Circo Romano extructæ ſunt, Dijs ſcilicet magnis & potentibus*; ex Tertulliano, ſpect. c. 8. Sed de Curetibus fortè otioſiùs quàm par eſſet hæc dicta ſunto: ad reliquum procedamus.

Videntur illi non ſe continere ſed impetuosè moueri, vnde ὀρχεῖσθαι ideſt *ſaltare* pro κινεῖσθαι καὶ ἐρεθίζεσθαι id eſt *moueri & irritari* antiqui vſurparunt, ex Athenæo, *l.* 1. *deipnoſ.* Id enopliam manifeſtè demonſtrat, de qua ſic Plinius, l. 7. c. 56. *Saltationem armatam Curetes docuere, Pyrrhicen Pyrrhus, vtramque in Creta.* Eam

ſic

ſic explicat Strabo, l. 10. *vt arcubus & inter arma ſaltibus exercerentur, adeo vt ne ludus quidem expers fuerit bellicæ vtilitatis* : Et alibi; *Armiſona ſaltatio militari de more & Pyrrhica & Pyrrhicius ipſe indicio ſunt, qui hujuſmodi repertor exercitij pro juvenibus ad militarem pueritiam fuiſſe perhibetur*, vnde natum apud Lacones verbum πυρριχίζειν de quo Eraſmus, *in adagijs, chil. 3. cent. 7.* Commune profectò tam Græcorum quàm barbarorum erat ſacrificia feſtiua cum animorum remiſſione agitare, aliqua quidem cum Numinis afflatione, quam rem σὺν ἐνθουσιασμῷ appellant. Quin & Pyrrhicæ peculiarem adhibuerunt muſicam, Inſtrumenta ab vſitatis diuerſa, quibus barbara nomina indita ſunt, nablæ, ſambuca, barbiti, magades, aliaque complura, quorum vſus cum ejuſmodi ritu ac ſacerdotio perijt. *Id exercitium apud Græcos imprimis erat celebre, ſiue id Mineruæ inuentum eſt, quæ poſt deletos Titanas in lætitia victoriali fertur prima ſaltaſſe armata, choreaſque duxiſse, ſiue priùs etiam inſtitutum à Curetibus dum INFANTEM IOVEM mulcerent armorum ſonitu concinniſque geſticulationibus, vt habent fabulæ.* Hæc Dionyſius Halic. *ant. Rom. l. 7.* Illam commemorant Pindarus, Euripides *in Bacch.* Sophocles, Homerus *iliad.* . . & Athenæus *Deipnoſ. l. 1.* Tum Suetonius, *in Iulio, c. 29.* illum *edidiſse ſpectacula varij generis, munus gladiatorium, Circenſes, athletas, naumachiam, pugnas; PYRRHICAM ſaltaſse Aſiæ Bithyniæque Principum liberos.* Hadrianus Imp. apud Spartianum, c. 19. *Militares Pyrrhicas populo frequenter exhibuit.* Olim quidem apud Græcos tres erant ſaltationis ſpecies, *ἐμμέλεια, tragica* : *Σίκιννις, ſatyrica* : Κόρδαξ, *comica; ἥτις αἰσχρῶς κινεῖ τὴν ὀσφῦν, quæ lumbos turpiter moueret*, vt explicat Ariſtophanis ſcholiaſtes, *ad Nubes*: Præter Laconicam, Trœzenicam, Epizephiriam, Cretenſem, Ionicam, Mantiniacam, de quibus Athænæus, *loco cit.* Earum certè aliquot etiamnum a Turcis Perſiſque in honore vſu atque delicijs præcipuè habentur.

Pyrrhicam porro ſaltationem exhibent antiqui nummi plurimi. Occurrit primùm ille Trajani, cum Cretenſi Diana quam ΔΙΚΤΥΝΝΑΝ nuncupabant, ab eruditiſſimis Triſtano, *comm. 1.* & Seguino, *in ſelect. numiſm.* explicatus. Alterum poſſides, Senator optime, cum Maximini facie quem olim *in Theſauro* ſculpendum curaui, dum rariores meos publici juris facerem. Trajani Decij alterum è ſuo muſæo nunc Regio vulgauit inter ſelecta ſua numiſmata *p. 186.* Abbas Seguinus, noſtro Caracallæ typo non abſimilem, niſi quod ab Apameenſibus cuſus ille ſit, noſter verò a Laodicenſibus: In illo Rhea puerulum enixa inter tres Curetes ſola cernitur; Hic vero tuus Caracallæ nummus Fortunam præterea, Fluvios decumbentes duos, aquilamque refert.

Fortunam

Fortunam Deam adhibuerunt Laodicenſes, Caracallæ adulantes; qualem effingere ſolebant, teſte Lactantio, *l. 3.* cum cornucopiæ & gubernaculo, cùm opes tribuere putaretur, & humanarum rerum regimen obtinere: Vitam quippe regit Fortuna non Sapientia. Fœminæ ſpeciem illi tradiderunt Veteres, cùm ejuſdem vellent indicare nequitiam, inquit Galenus, *in Suaſoria*: Iuvenem pinxerunt, quaſi ſpreta ſenum virtute, juvenibus ſemper faueret. Fortunam porrò *Iouis miniſtram* eſſe cenſuerunt, *ſortium Dominam & arbitram, ſingulis Dijs aſſiſtentem*. Inter varia Fortunæ Primigeniæ Præneſtinæ ſchemata ijs in locis nuper eruta, exſtat æreum ſimulacrum cum abblandiente Ioue infante, quem lactaſſe credebatur; ex Suareſio, *l. de antiquit. Præneſtinis*, & Athan. Kirchero, *in Latio*: Fortè quam in nummo ſcalptam cernimus *Fortuna eſt regia quæ comitari Principes & in cubiculis poni ſolebat, quamque*, vt ſcribit Spartianus, *geminare ſtatuerat* Seuerus, *vt ſacratiſſimum ſimulacrum vtrique relinqueret filiorum. Sed cùm videret ſe perurgeri ſub horam mortis, juſſiße fertur vt alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortuna poneretur: Quod Baſſianus priùs contempſit quàm faceret parricidium*. Et ne a Caracallæ Fortuna diuertamus, eamdem in ejus nummis a Laodicenſibus cuſis animaduertimus; altero Latino græcis aliquot characteribus intexto, altero planè Græco, quorum cum Fortunæ Præneſtinæ ſimulacro ectypum hic habes.

Fortuna Preneſtina.

Caracalla ex Æ.





Caracalla ex Æ.



I Iacentes ſenes ex vrceis aquam fundentes quin fluvios repræſentent neminem in antiquitate vel mediocriter verſatum inficiari opinor; eoſque eſſe qui Laodiceam alluant, *illam ſcilicet Lydiæ ab Antiocho Stratonicæ filio conditam*; vt ſcribit Stephanus: Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ Λυδίας Ἀντιόχου κτίσμα τοῦ παιδὸς τῆς Στρατονίκης. Hæc ſunt Strabonis verba, l. 12. *Ibi etiam Caprus & Lycus in Mæandrum influunt: Lycus eſt fluvius ſatis magnus, a quo & Laodicea ad Lycum*

dicitur

dicitur. Supra vrbem ſitus eſt mons Cadmus, ex quo & Lycus defluit, & alter ejuſdem nominis cum monte. Certè a Ptolomæo *Laodicæa ad Lycum* dicitur, *l.* 5. & inter Cariæ ciuitates numeratur, quam Strabo in Phrygia collocat, *Laodiceam atque Apameam maximas Phrygiarum vrbium* nominans: Ἅιπερ εἰσὶ μέγισται τῶν κατὰ τὴν Φρυγίαν πόλεων. Cùm autem Lydia, Caria, & Phrygia, regiones fuerint inter ſe finitimæ, facilè eſt vtriuſque varietatem conciliare. Hic Lycus a T. Liuio, *dec.* 4. *l.* 8. Marſyas nuncupatur, juxta quem Marſyas cum Apolline tibiarum cantu certauerat. *Celeberrima vrbs Laodicea impoſita eſt Lyco flumini, latera alluentibus Aſopo & Capro*, inquit Plinius, l. 5. c. 29. Atque ij ſunt qui in ima nummi parte jacent. Binos fluvios alijs in nummis aliquando vidiſſe contigit: Duos præcipuè ex ære maximo, quorum alter M. Aurelium referens in auerſa parte Æſculapij ſtatuam exhibet, ad cujus pedes duo fluviorum Genij jacentes aquam ab vrceis fundunt, cum hac inſcriptione ΣΕΛΙΝΟϹ ΚΗΤΕΙΟΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΔΥΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΕΠΙ ΣΤΡΑ. ΚΑΛΛΙΣΤΕΟΥ: hoc eſt, *SELINVS CETEIVS Pergamenorum bis Neocororum ſub Prætore Calliſteo.* Quæquidem nomina leguntur apud Plinium, l. 5. c. 30. *Longèque clariſſimum Aſiæ Pergamum, quod intermeat SELINVS, præfluit CETIVS.* Alter qui Gordianum exprimit ab Apameenſibus cuſus eſt, cum præcipuo Aſiæ numine, Diana Epheſia, tribuſque fluvijs decumbentibus, *MARSIA, OBRIMA, & ORGA*, a Plinio, *l.* 5. *c.* 29. memoratis. Atque iterum gemini fluvij ad pedes cippi Dianæ decumbunt, in duobus quos vidi Epheſiorum nummis ex ære mediocri, Seuero atque Caracallæ dicatis, in quorum altero ΚΑΙΣΤΡΟΣ & ΚΕΝΚΡΙΟΣ manifeſtè leguntur, *CAISTER & CENCRIVS.* Nummus præterea mihi eſt rariſſimus Antonini Pij, cujus poſticam partem illuſtrat Bacchi ſtatua vuam tenentis, atque duo Fluvij, pro more decumbentes. Attritos ſuperiores characteres eorum nomina declaraſſe veriſimile eſt, infra celebrato Ioniæ populo, ΤΙΑΝΩΝ, de quo Stephanus, *de vrbibus* in voce ΤΕΩΣ. Laodiceam hodie nominari *Eskihiſsar* aſſerit *in Orient. peregrinatione* ſummè mihi amicus paternáque neceſſitudine conjunctus, Cl. Sponius, dirutam ferè totam, cujuſque locum vnum occupat molendinum. Nunc ſeges eſt vbi Troja fuit. Ludorum porrò olim Laodiceæ celebrium exſtant etiamnum aliquot monumenta, theatra ſcilicet quatuor è marmore polítiſſimo, tum inſcriptio græca Titum Imp. commemorans, quæ quo pacto Turcarum vt ἀναλφαβητῶν, ſic lucrum vndiquaque facientium rapaces manus euaſerint, ignoro.

Vna

Vna ſupereſt inſcriptio, at ita clara vt vix explicatione indigeat: Eam ad Laodicenſes pertinere nullum eſt dubium: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ perſpicui ſunt characteres, aliqui porrò infra ſculpti ſunt quos non ſatis aſſequor, niſi fortè aliquam temporum periodum ſeu æram ſignificent. Feliciori itaque Oedipo relinquantur, qui horum obſcuritatem vt Sibyllæ foliorum ſoluat. De VRBIBVS NEOCORIS olim edidit eruditiſſimam Diatribem Albertus Rubenius Belga, cui noua multa adjecturum pollicetur, qui & tua gratia pollet, πολυμαθέστατος Nicolaus Bon, Cretenſis, Iuris V. Doctor. Neocoros fuiſſe ſacrarum ædium cuſtodes, ſeu æditues hactenus Antiquarij credidere, juxta Suidam: Νεωκόρος, ὁ τῶν νεῶν κόσμων καὶ εὐτρεπίζων, ſeu ὁ τοῦ νεὼ ἐπιμελούμενος. Egregius eſt Iulij Firmici locus, de errore profanarum religionum, c. 14. de Scrapide: *Hic in Ægypto colitur, hic adoratur. Hujus ſimulacrum NEOCORORVM turba cuſtodit, & ad memoriam vetuſtatis errans populus, ordinem ſacrarum in honorem integerrimi ac prudentiſſimi hominis conſtitutum, contentioſa hodie animoſitate cuſtodit.* Ab hominibus ad ciuitates fluxit hic honos, & ab Europa ad Aſiam: Sic templorum, ludorum, certaminum aliorum-ve ſacrorum cauſa, vrbes populique NEOCORI dicti ſunt: Quem honorem Laodicenſes tunc temporis aſſequutos eſſe docet tuus Nummus, & præter illum hi quinque quos vidi ex maximo modulo eundem Caracallam repræſentantes.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Templum in quo fœmina cornucopiæ tenens coronam Imperatori offerre videtur.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Menſa ſuper qua duæ vrnæ, è quarum ſiniſtra prodit palma, victoriæ ſymbolum: Infra duo vicei.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ: Iuppiter ille φιλαλήθης, ſeu veritatem amans, Laodicenſium præcipuum numen; & Æſculapius.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ . . . . . ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. Templum in quo Caracalla victores athletas coronat.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ . . . . Caracalla eques, juxta ſtatuam Palladis, conuertens caput ad ſequentem militem.

Vnum poſſideo nummum ejuſdem Caracallæ ex ære mediocri, Laodicenſes Neocoros celebrantem, cum quatuor anni temporibus, quem ob elegantiam & raritatem hic ſculpendum curaui. Egregium hunc typum præferunt alij ejuſdem Caracallæ nummi ex argento & ære medio, cum ſuperba hac epigraghe, FELICIA TEMPORA.

Rem certè Antiquitatis ſcrutatoribus gratiſſimam eſſe opinor, cùm eadem anni ſymbola tum in latinis tum in græcis numiſmatibus obſeruare contingit.



Lydiam Laodiceam hic intelligi faciunt vt credam Fluvij duo jacentes Caprus & Lycus, de quibus ſupra dictum eſt, quamuis de Laodicea Syriæ alios interpretari videam, Antiochiæ æmula: Huic enim cùm Peſcennio Nigro fauiſſet, Syriæ primatus a Seuero conceſſus eſt, quo pridem gaudebat vicina Antiochia, vt legitur apud Herodianum. Egregium eſt iſtud æreum numiſma Commodum Caracallamque celebrans, in quo coloſſus ingens Antonino Caracallæ erectus viſitur, cum hac inſcriptione ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΚΑΙ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΔΟΓΜΑΤΙ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ. Victoriam ille tenet præ manibus, dum ab aquila Iouis alite coronatur: Ad ejus pedes jacent duo milites, quos Cabiros interpretari poſſumus, atque etiam captiuos hoſtes.

At finem aliquando imponamus epiſtolæ quæ jam, vt dicam more Liuiano, magnitudine laborat ſua.

Scribebam in Muſæo Patauino, VIII. Kal. Sept. qui Opi ſacer olim erat dies in Capitolio, MDCLXXX.

DE PHŒNICE,

In Numiſmate Imp. Antonini Caracallæ expreſsa.

EPISTOLA

GABRIELIDIS CAROLÆ PATINÆ,
Pariſinæ, Academicæ.



VENETIIS, MDCLXXXIII.

Apud Io: Franciſcum Valuaſenſem.

Superiorum Permiſsu.

Profana illis omnia, quæ apud nos Sacra.
Tacit. hiſtor. l. 5. c. 4.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D.

D. HIERONYMO CORRARIO,

VERONÆ PRÆFECTO.

MEridianum ſomnum ab Italis ferè omnibus, efflagitante tempeſtatis æſtu, quo iucunda intermiſſione vires animi corporiſque refocillare conſueuerunt, mihi Pariſinæ vtilem quoque futurum ſuaſerunt qui eo more vtuntur: At cùm obſeruaſſem capitis præcipuè grauitate, totiuſque corporis ἀτονίᾳ valetudinem infici, in poſterum a diurno ſomno abſtinere decreui. Ne tamen labores adaugere viderer, quorum exigua moles innatam imbecillitatem obrueret, illud temporis, nugis quidem, at illis vtilibus & eruditis concedere, in animum induxi (id potiſſimum ſuadente Patre meo chariſſimo, eodemque præceptore benigniſſimo) & ſuauiſſimis hiſtoriæ antiquæ monumentis ampliſſimam operam collocare. Votis vtcunque reſpondit euentus, alacrior quippe animus vegetumque corpus ita ſucceſſit, vt me nequaquam ſuſcepti conſilij pœniteret. Progredienti mihi & patri meo pro viribus opem ferenti, ab eodem ſuaſum eſt, vt quod meditabatur opuſculum, ipſa abſoluendum ſuſciperem, Nummi ſcilicet antiqui explicationem inſigni typo conſpicui. Terruit me primùm hæc propoſitio, tenuis ingenij conſciam: Verùm cùm audirem ſtudiorum meorum gratia hoc ſuſceptum eſſe conſilium, & ad eorum, quæ diſcere mihi animus erat, meliorem intelligentiam non parum momenti allaturum, abiecto quo deterrebar metu, non vlla gloriæ cupiditate ducta, quod ſanctè affirmare poſſum, ne laureolam in muſtaceo, vt dicitur, quærere videar, quæ iuſſa eram verecundè ſcribere conſtituj, tuoque nomine decorare, Vir Illuſtriſſime & Excellentiſſime, ne in ipſo limine a Parentis mej genio declinarem. Æquum eſt deinde quod tuum eſt tibi rependere, nec minùs honeſtum tui in nos affectus perpetuitatem pro viribus prouocare.

Nummulus ille tuus æneus eſt, ſecundæ vt vocant magnitudinis,

raritate quàm integritate pretioſior. Caracalla vultum exhibet, cum hac inſcriptione Α'υτοκράτωρ Καισὰρ Α'ΝΤΩΝΙΝΟΣ : IMPERATOR CÆSAR ANTONINVS. De quo, quòd vel omnia ex antiquis ſcriptoribus pateant, vel a Parente meo in explicatione nummi NATALITIA IOVIS repræſentantis, dicta ſint, nihil a me ſcribendum puto. Auerſa facies me mirum in modum delectat & in admirationem rapit, adeo inſolitus eſt typus & magni cujuſdã, quantum ego opinione auguror, præclarique facinoris aut virtutis index. In excelſo montis apice, ſurculos video in calathi formam mire diſpoſitos, ſupra quos tanquam in nido, expanſis tamen alis, ampliſſima volucris quippiam moliri videtur; Illam circundantibus his characteribus ΚΑΕΤ... Primo quidem aſpectu aquilam eſſe mihi perſuadebam qualis in montium cacuminibus exhibetur, vt in Auguſto inter *Num. Imp. Rom. Patini* cum ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ inſcriptione *pag.* 50. Attentius porrò conſideranti mihi non obſcurè ſed manifeſtè omninò apparuerunt ſurculi mirè cum feſtucis ſtipuliſque intertexti, quibus funebrem Phœnicis thalamum ſeu rogum ſibi parantis ſubolfeci: Cujus quidem conjecturæ fundamenta ab antiquis autoribus ampliſſima tradita ſunt.

Hæc ſunt Herodoti verba, in Euterpe l. 2. *Eſt & alia volucris ſacra, nomine PHOENIX, quam equidem nunquam vidi niſi in pictura; etenim perrara ad nos commeat, quingenteſimo quoque (vt aiunt Heliopolitani) anno, & tunc demum, & cùm pater eius deceſſit. Is ſi picturæ aſſimilis eſt, talis tantuſque eſt: pennæ coloris partim rubidi, maxima ex parte cùm habitu tum magnitudine ſimillimus aquilæ. Eum aiunt (quod mihi non ſit veriſimile hoc excogitare) ex Arabia proficiſcentem in templum Solis geſtare patrem myrrha obuolutum, & in eo templo humare. Sic autem geſtare: primùm ex myrrha ouum componere, quantum ipſe ferre poſſit, deinde ferendo illud experiri, hoc expertum ita demum ouum exenterare, atque in illud parentem inferre: & qua parte ouum exinaniuit patremque intulit, eam partem alia myrrha inducere, & cùm tantumdem ponderis impoſito parente effectum ſit, obſtructo rurſus foramine baiulare illud in templum Solis; hæc facere hanc auem commemorant.*

Paulo aliter rem narrat Pomponius Mela, l. 3. c. 9. *De volucribus præcipuè referenda PHOENIX ſemper vnica, non enim concipitur, partuve generatur: Sed vbi quingentorum annorum æuo perpetua durauit, ſuper exaggeratam varijs odoribus ſtruem ſibi ipſa incubat, ſoluiturque: deinde putreſcentium membrorum tabe concreſcens ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur. Cùm adoleuit, oſſa priſtini corporis incluſa myrrha AEgiptum exportat, atque in vrbem, quam Solis appellant, fragrantibus nardo buſtis inferens, memorando funere*

con-

conſecrat. Grauiſſimus ſcriptor Tacitus hoc minutatim perpendere non eſt dedignatus, Annal. l. 6. *Paulo Fabio, Lucio Vitellio Coſſ. poſt longum ſæculorum ambitum, auis PHOENIX in AEgyptum venit, præbuitque materiam doctiſſimis indigenarum & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, ſed cognitu non abſurda promerelibet. Sacrum Soli id animal, & ore ac diſtinctu pennarum à cæteris auibus diuerſum conſentiunt, qui formam eius definiere; de numero annorum varia traduntur; maximè vulgatum, quingentorum ſpatium. Sunt qui aſſeuerent, mille quadringentos ſexaginta vnum interjici, prioreſque alites Seſoſtride primùm, poſt Amaſide dominantibus, deinde Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit in ciuitatem, cui Heliopolis nomen aduolauiſſe, multo cæterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obſcura; inter Ptolemæum, (Euergetem) ac Tiberium minùs ducenti quinquagenta anni fuerunt; vnde nonnulli falſum hunc PHOENICEM, neque Arabum è terris credidere, nihilque vſurpauiſſe ex his, quæ vetus memoria firmauit. Confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fœtum oriri, & primam adulto curam ſepeliendi patris, neque id temere, ſed ſublato myrrhæ pondere, tentatoque per longum iter, vbi par oneri, par meatui ſit, ſubire patrium corpus, inque Solis aram perferre, atque adolere; hæc incerta, & fabuloſis aucta. Cæterùm aſpici aliquando in AEgypto eam volucrem, non ambigitur.* Poſt tam accuratam deſcriptionem minùs miror diligentiſſimum naturæ Interpretem illius etiam mentionem feciſſe, hiſt.nat.l.10.c.2. *AEthiopes atque Indi diſcolores maximè & inenarrabiles ferunt aues, & ante omnes nobilem Arabia PHOENICEM; Haud ſcio an fabuloſè, vnum in toto orbe, nec viſum magnopere. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roſeis caudam pennis, diſtinguentibus criſtis faciem, caputque plumeo apice cohoneſtante. Primus atque diligentiſſimus togatorum de eo prodidit Manilius Senator ille, maximis nobilis diſciplinis, doctore nullo, neminem exſtitiſſe, qui viderit veſcentem. Sacrum in Arabia Soli eſſe, viuere annis DCLX. ſeneſcentem, caſia thuriſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuper emori. Ex oſſibus deinde è medullis eius naſci primò ceu vermiculum, inde fieri pullum; Principioque iuſta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponere. Cum huius alitis vita magni conuerſionem anni fieri prodit idem Manilius, iterumque ſignificationes tempeſtatum & ſiderum eaſdem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis Sol intrauerit. Et fuiſſe eius conuerſionis annum prodente ſe P. Licinio, M.*

Cor-

Cornelio Coſſ. CCXV. Cornelius Valerianus PHOENICEM deuolauiſſe in AEgyptum tradit, Q. Plautio, Sex Papinio, Coſſ. Allatus eſt & in vrbem, Claudij principis cenſura, anno vrbis DCCC. & in comitio propoſitus, quod actis teſtatum eſt, ſed quem falſum eſt nemo dubitaret. Obſeruat Dio l. 58. *biennio ſeriùs, Sex Papinio & Q. Plantio Coſſ. apparuiſſe Phœnicem*: Tacitum in re fabuloſa non ita curioſum fuiſſe arbitratur Muretus. Prætermittendus non eſt eiuſdem Plinij locus, l. 29. c. 1. *Quippe inter prima proditis etiam ex cinere PHOENICIS nidoque medicinis, ſeu verò id certum eſſet atque non fabuloſum. Irridere eſt, vitæ remedia poſt milleſimum annum reditura monſtrare.* Id ſuo modo ita deſcribit huius aſſecla polyhiſtor Solinus, c. 36. de Arabibus, ſic agens. *Apud eoſdem naſcitur auis PHOENIX, aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis exſtantibus, criſtatis faucibus, circa colla fulgore aureo, poſtera parte purpureus abſque cauda, in qua roſeis pennis cœruleus interſcribitur nitor. Probatum eſt quadraginta & quingentis eum durare annis: rogos ſuos ſtruit cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat; in Solis vrbem ſtrue altaribus ſuperpoſita. Cùm huius vita magni anni fieri conuerſionem, rara fides eſt inter auctores, quamuis plurimi eorum magnum annum non quingentis & quadraginta, ſed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis conſtare dicant. Q. itaque Plautio, & Sex. Papinio Coſſ. AEgiptum PHOENIX inuolauit: captuſque anno octogenteſimo vrbis conditæ iuſſu Claudij Principis in comitio publicatus eſt, quod geſtum præter cenſuram, quæ manet, actis etiam vrbis continetur.* Notatu digna ſunt quæ de PHOENICE ſcribit Ælianus, de hiſt. animal. l. 5. c. 57. *Sine ratiocinatione PHOENICES aues numerum quingentorum annorum computare ſciunt, edoctæ a natura ſapientiſſima, propterea non indigent neque digitis, neque arithmetica ſcientia. Horum quingentorum annorum tempus impletum ſciunt AEgiptiorum valde pauci, & hi Sacerdotes, & quidem inter ſe conuenire nō poſſunt de his, & contendunt, vel quod nunc, ſed in poſterum hæc diuina auis veniet, vel quòd iam oportebat eam veniſſe. At hac illis aliter contendentibus adnotat tempus, & adeſt, & cogit illos ſacrificia facere, & fateri ſe neſcire quæ ſciunt aues: nonne ſapientia eſt, PHOENICEM auem ſcire vbi AEgyptus eſt? vbi Heliopolis? quò ipſi definitum eſt venire? & vbi aliquando pater conditus ſit, & in quibus locatus.* Ab illis tranſcripſiſſe videtur Philoſtratus in vita Apollonij, l. 3. *Auem quoque PHOENICEM eſſe percredimus: quæ quingenteſimo quoque anno in AEgyptum veniens hanc ipſam Indiam ſuperuolat: aiunt autem vnicam tantùm hanc auem eſſe; & ex ſe radios emittere, atque auri colore fulgere: magnitudine verò, formaque aquilæ in nido conſidere, quem prope Nili fontes ex aromatibus ipſamet*

ſibi

ſibi conſtruxit. *Hæc verò quæ de ipſa decantant AEgyptij, quo pacto in AEgyptum deferatur, ipſi etiam Indi teſtificantur ſermoni conſentientes, quo dicunt, PHOENICI in nido liqueſcenti lugubres hymnos decantari.* Miranda profectò eſt Imp. Heliogabali veſania, qui teſte Lampridio, *Fertur & promiſiſse PHOENICEM in conuiuijs, vel pro ea libras auri mille, vt in prætorio eas dimitteret.* Dionis Caſſij verba ſunt hæc. *Sext. Papinio, Q. Plautio Coſſ. Tyberis multas vrbis partes aqua repleuit, ita vt nauibus peruia eſſent: incendio longè plurima propter Circum & Auentinum perierunt,* &c. *Quòd ſi AEgyptiæ etiam res ad Romanos attinent, eo anno ibi PHOENIX apparuit.* Idem confirmat Sext. Aurel. victor. *Huius temporibus viſus eſt apud AEgyptum PHOENIX, quam ferunt volucrem anno D. ex Arabia memoratos locos aduolare.* Inter animalia inſolito modo genita, commemorat Laertius in vita Pyrrhonis *ea quæ in igne viuunt* πυρρίβια *dicta, & PHOENICEM Arabicum.* Somniarum interpes Artemidorus, l.4. c.49. celebrem huius volucris mentionem facit his verbis. *Etenim PHOENIX auis patrem ſuum ſepelit, & obiectum eſſe non ſinit.* Et mox. *Verum dicunt aliqui, quòd PHOENIX non ſepelit Patrem, neque omnino illi ſuperſtes eſt pater, neque alius quiſpiam progenitorum; Sed cùm ipſum fatum ducit, proficiſcitur in AEgyptum, vnde, non ſanè eſt hominibus notum, & ipſe ſibi ipſi ex caſia & myrrha conſtruens rogum, vita decedit. At verò vbi exuſta eſt pyra, poſt tempus ex cinere vermiculum generari aiunt, qui incrementum adeptus, tranſmutatur, & rurſus PHOENIX euadit, & auolat ab AEgypto eò, vnde prior PHOENIX venerat.* Sed & PHOENICEM viſam fuiſſe, mortemque Tiberio denuntiaſſe putabatur, vt olim ex Xiphilino collexit Dionis epitomator. Conſulatur Suidas in verbo ΦΟΙΝΙΞ: *PHOENIX, palma arbor, & auis. Sub Claudio Imperatore hanc ad AEgyptios veniſſe dicunt (Plinius libro* 10. *cap.* 2. *viuere annis 660. poſt annos 654. De hac aue memoratur, cùm fatum ei inſtet, venire in AEgyptum: vnde verò, ignorari, & cùm ipſa ſibi ex caſia & myrrha rogum confecerit, mori: quo cremato aliquanto poſt e cinere vermem dicunt fieri, qui mutetur, & rurſus fiat PHOENIX: & eò auolet, vnde prior PHOENIX in AEgyptum venerit.* Quibus certè ſexcentos alios eoſq; magni nominis Autores ſuperadderē, niſi ab his vt celebrioribus rē plane mutuaſſe poſteriores cenſerem. Poetas porrò non intermittam illius volucris mentionem facientes,

In Heliopoli procreare aiunt
PHOENICES, Athenis noctuas &c.

inquit Antiphanes apud Athenæum, l. XIV. c. XXV. Quàm eleganter eiuſdem ortum & interitum cecinit Ouidius, metam. l. XV.

Vna eſt, quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet ales

Aſſyrij

Aſſyrij Phenica, vocant, nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & ſucco viuit amomi.
Hæc vbi quinque ſuæ compleuit ſæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ,
Vnguibus & duro nidum ſibi conſtruit ore.
Quo ſimul ac caſias & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaque cum fulua ſubſtrauit cinnama myrrha,
Se ſuperimponit, finitqne in odoribus æuum.
Inde ferunt totidem qui viuere debeat annos,
Corpori de patrio memorant PHOENICA renaſci,
Cùm dedit huic ætas vires, onerique ferendo eſt,
Ponderibus nici ramos leuat arboris altæ,
Fertque pius cunaſque ſuas, patriumque ſepulchrum;
Perque leues auras Hyperionis vrbe potitus,
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.

Et lib. 2. Eleg. 6.

Et viuax PHOENIX vnica ſemper auis.

Eiuſdem meminit Statius Papinius, Siluar. l. 2.

——— ——— ——— ——— *Senio nec feſſus inerti*
Scandet odoratos PHOENIX feliciter ignes.

Præter integrum opuſculum de PHOENICE, in Eidyll. hæc refert Claudianus, in laud. Stiliconis.

Sic vbi fœcunda reparauit morte iuuentam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat
Vnguibus oſſa pijs, Nilique ad littora tandem
Vnicus extremo PHOENIX procedit ab Euro.
Conueniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Vt Solis mirentur auem; procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama buſti.

Aliud etiam compoſuit Lactant. Firmianus, non inconcinnum per Muſas, neque faſtidiendum, e quibus hæc carmina ſelegimus.

Paret & obſequitur Phæbo memoranda ſatelles,
Expectat radios & iubar exoriens;
Illa ter alarum repetito verbere plaudit,
Igniferumque caput ter venerata ſilet.
Tum legit aerio ſublimen vertice palmam
Vitalique toro membra quieta locat.
Conſtruit illa ſibi ſeu nidum ſiue ſepulchrum,
Depoſiti tanti ne timet illa fidem.

Et alibi.

Hoc nemus, hos lucos, auis incolit vnica PHOENIX,
Vnica ſic viuit morte refecta ſua.

Ex

Ex recentioribus hance Phœnicis diſceptationem illuſtrantibus, tres mihi videntur elegantiſſimè ſcripſiſſe: Primus eſt Sannazarius, de partu Virgin. l. 2.

—— Qualis noſtrum cùm tendit in orbem
Purpureis rutilat pennis nitidiſſima PHOENIX,
Quàm variæ circùm volucres comitantur euntem.
Illa volans Solem natiuo prouocat auro.
Fulua caput, caudam & roſeis interlita punctis.
Cœruleam.

Alter eſt Hieron. Vida, Chriſtiad. l. VI.

Talis, vbi turpe irrepſit ſenium, vnicus ales
Congeſſitque ſibi ramis felicibus altum
Summo in colle rogum, poſuitque in morte ſenectam,
Continuo nouus exoritur, nitiduſque iuuenta,
Effulget criſtis, & verſicoloribus alis.
Innumeræ circum volucres mirantur euntem,
Ille ſuos adit AEthiopas, Indoſque reuiſit.

Tertius denique, Poetarum Etruſcorum princeps, *nella Ieroſolima liberata, Canto 17. ſtanz. 20.*

Dirietro ad eſſi apparuero i cultori
Del Arabia Petrea, de la Felice:
Che'l ſouerchio del gelo, e degli ardori
Non ſente mai, ſe'l ver la fama dice:
Oue naſcon gl'incenſi, e gli altri odori,
Oue rinaſce l'immortal FENICE,
Che trà i fiori odoriferi, ch'aduna
A l'eſſequie, à i natali hà tomba, e cuna.

Hæc omnia amplisſimam occaſionem dedere hieroglyphicis, comparationibus, commentarijs, ſanctis profaniſq; interpretationibus: ſic Horus Apollo Niliacus hierogl. 32. *Animam quæ in hac vita diutiſſimè moram traxerit, aut etiam inundationem commonſtrare volentes, PHOENICEM auem pingunt: Animam quidem quòd omnium, quæ in toto orbe ſunt animantium hoc maximè diuturnæ vitæ eſt &c.* Idemque hierogl. 33. *Quin & cùm innuentes, qui longo tempore peregrinatus tandem in ſolum natale remeet, rurſum PHOENICEM auem pingunt: hæc enim in AEgyptum, cùm tempus mortis inſtat, quingenteſimo demum anno regreditur: vbi, ſi debitum naturæ perſoluerit, magno ritu ac ſolemnitate funeratur.* Seneca l. 5. epiſt. 42. ad Lucilium. *Nam ille alter fortaſse tanquam PHOENIX ſemel anno quingenteſimo naſcitur nec eſt mirum ex interuallo magna generari.* Et Ariſtides Adrianenſis de Smyrna M. Aurelij beneficio dereædificata: *Repullulat ciuitas depoſito ſeniovetus eadem & noua:*

B quem-

quemadmodum dicunt PHOENICEM ex ſe ipſa reuiuiſcere. Hæc ſunt Clementis Romani verba, apoſtolicæ conſtitut. l. 5. c. 6. *Aiunt Græci auem quandam eſſe ſoligenam, vberem præbentem reſurrectionis demonſtrationem, quam dicunt comparem non habere, ſolamque in mundo reperiri, PHOENICEM appellant, narrantque eam poſt quingenteſimum annum in AEgyptum aduolantem, ſecumque copiam cinnamomi, caſiæ, xilobalſami adducentem, in loco qui dicitur Solis ara, conſiſtere, ibique conuerſam ad aſpectum Solis, ei, vt aiunt, ſupplicem ſponte conflagrare, redigique in puluerem: ex cineribus autem vermem exiſtere, eumque concalefactum in nouam PHOENICEM formari, alitemque factum, in Arabiam, quæ eſt vltra AEgyptiacum ſaltum, aduolare.* Tertullianus, l. de Reſurrect. eò mire traducit PHOENICIS hiſtoriam: *Siquidem animalis eſt res vitæ obnoxia, & morti, illum dico alitem orientis peculiarem de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtroſum, qui ſemet ipſum libenter funerans, renouat, natali fine decedens, atque ſuccedens iterum PHOENIX: vbi iam nemo, iterum ipſe, qui non iam alius idem. Quid expreſſius in hanc ſcilicet reſurrectionis cauſam? aut cui alij rei tale documentum?* Idem inferiùs. *Deus etiam ſcripturis ſuis; & florebis enim (inquit) velut PHOENIX, id eſt de morte, de funere vti credas de ignibus quoque ſubſtantiam corporis exigi poſſe.* Et mox. *Multis paſſeribus anteſtare nos Dominus pronuntiauit, ſi non & PHOENICIBVS, nihil magnum. Sed homines ſemel interibunt, auibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris.* Sanctus Cyprianus, ſeu Ruffinus in expoſitione Symboli, Deiparæ Virginis conceptionem ex PHOENICIS natalitijs comprobare non dubitauit his verbis: *Et tamen quid mirum, videtur, ſi virgo conceperit, cùm Orientis auem, quam PHOENICEM vocant, in tantum ſine coniuge naſci; vel renaſci conſtét, vt ſemper & vna ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat?* Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus de vita Conſtantini l. 4. c. 72. à Card. Baronio an. CCCXXXVII. relatus, eundem Phœnicem reſurrectionis typum eſſe vult. *Neque tamen ita vt AEgyptia illa auis, quam aiunt, cùm naturæ prouidentia vnica ſit ſibi ipſi mortem conſciſcentem, in aromatum aceruo emori, ex cineribus verò reuiuiſcere, & excitari aliam eiuſmodi, qualis ipſa fuit.* At multo magis Beatus Cyrillus Archi-ep. Hieroſolymitanus in catecheſi 18. de Reſurr. his verbis. *Vidit Deus hanc hominum incredulitatem, & auem quandam in hoc fabricatus eſt, quæ PHOENIX appellatur. Hæc (vt ſcribit Clemens, & alij complures referunt) cùm ſit vna tantùm auis & ſola, in terram AEgypti in ſpatio quingentorum annorum venire ſolet, atque demonſtrare reſurrectionem: non in locis deſertis, ne myſterium id ignoretur; ſed in aperta ciuitate conſiſtit, vt contrectetur;*

quod

quod non creditur. Septum enim ſibi facit è thure, & myrrha, cæteriſque aromatibus, & completis annis eò venit: moritur apertè, & putreſcit, deinde ex putrefacta carne mortua, vermis quidam generatur, & hic deinceps in auem efformatur. Et paulo inferiùs: *PHOENIX ſanè præfatus excreſcens in auem, talis euolat in aerem, qualis & mortuus erat, & apertiſſimè mortuorum reſurrectionē nominibus demonſtrat.* Et mox, *Sed quoniam longè petitum, & rarum eſt PHOENICIS exemplum, &c.* Et Sanctus Epiphanius in Ancorato. *Cæterùm de PHOENICE Arabica auicula dicere ſuperfluum eſt; iam enim ad aures multorum peruenit credentium, & non credentium: hiſtoria autem de ipſo talis apparet. Quingenteſimum annum agens, vbi cognouerit tempus mortis ſuæ inſtare, rogum ex aromatibus ſibi conſtruit, eaque in vrbem Ægyptiorum, Heliopolim appellatam, defert, & proprijs pedibus, ac alis pectora ſua valdè pulſans, ignemque e corpore ſuo proferens, ſubiectam materiam in loco incendit, atque ſic ſeipſum exurit, & omnes carnes ſuas vnà cum oſſibus. Verùm ex Dei diſpoſitione nebula demittitur, quæ pluuiam effundit, & flamam corpus alitis conſumentem extinguit, cùm mortuus iam ſit PHOENIX & extremè toſtus. Extincta autem flamma reliquiæ carnis ipſius adhuc crudæ reſtant, quæ ad vnum diem diſſipatæ vermem gignunt; vermis autem pennas producit, pullus euadens. Tertia verò die creſcit, & accepto incremento, his qui in eo loco verſantur, ſeipſum oſtendit, & rurſus ad propriam patriam recurrit, ac quieſcit.* Atque etiam idem ad Phyſiologum c. 11. *PHOENIX auis pauone pulchrior eſt. Pauo enim aureas, argenteaſque habet alas: PHOENIX verò hyacentinas & ſmaragdinas, pretioſorumque lapidum coloribus diſtinctas; coronam autem habet in capite, & in pedibus malleolos; prope Indiam degit: viuit autem annos quingentos, & in cedris Libani abſque cibo, & potu, vento paſcitur: At poſt quingentos annos alas aromatibus implet, & cùm Heliopoleos Sacerdos ſacrificia inchoat, è proprio egreditur nido, & ad Sacerdotem pergit, vnaque templum ingreditur vſque ad ſacrarium, & in cinerem tota conſumitur. Sequenti autem die alis renatis reperitur. Tertia verò die iam integra, Sacerdotem ſalutat, reſtaurataque iterum ad proprium locum redit.* Hominum reſurrectionem pariter ex PHOENICE probat S. Ambroſius, in Orat. de Fide & Reſſurr. *Auis in regione Arabiæ, cui nomen eſt PHOENIX, rediuiuo ſuæ carnis humore repababilis, cùm mortua fuerit, reuiuiſcit, ſolos non credimus homines reſuſcitari.* Et idem Hexam. l. 5. c. 23. *PHOENIX quoque auis in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea vſquè ad annos quingentos longæua etate procedere, quæ cum fine vitæ ſibi adeſſe aduertit, facit ſibi thecam de thure & myrrha, & cæteris odoribus, in quam, impleto vitæ ſuæ tempore,*

 intrat

intrat & moritur: De cuius humore carnis vermis exurgit, paulatimque adoleſcens, ac proceſſu temporis induit alarum remigia, atque in ſuperioris auis ſpeciem, formamque reparatur. Et in pſalm. 118. ſerm. 19. *PHOENIX generationem corpoream ignorat, libidinis neſcit illecebras, ſed de ſuo ſurgit rogo, ſibi annis ſuperſtes, ipſa & ſuis hæres corporis, & cineris ſuis fœtus.* D. Auguſtinus, de Anima & eius origine ad Vicentium, l. 4. c. 20. t. 7. *Quod enim de PHOENICE loqueris, ad rem, de qua agitur, omnino non pertinet. Reſurrectionem quippe illa ſignificat corporum, non ſexum deſtruit animarum, ſi tamen, vt creditur, de ſua morte renaſcitur.* Quæ eadem ferè S. Zeno ſcripſit, *Serm. de Reſſurr.* Ad idem pertinent Iſiodori verba, in Origin. 12. c. 9. *PHOENIX auis Arabiæ dicta, quòd colorem PHOENICEVM habeat, vel quòd ſit in toto orbe ſingularis, & vnica; nam Arabes ſingularem & vnicam PHOENICEM vocant. Hæc quingentis et vltra annis viuens dū ſe viderit ſenuiſſe, collectis aromatū virgultis, rogum ſibi inſtruit, & conuerſa ad radiū Solis alarum plauſu voluntarium ſi incendium nutrit; ſicque iterum de cineribus ſuis reſurgit.*

Hæc ſunt verba Gregorij Nazianzeni, in præceptis ad virgines.

Vt PHOENIX moriens primos reuireſcit ad annos,
In medijs flammis poſt plurima luſtra renaſcens,
Atque nouum veteri ſurgit de corpore corpus:
Haud ſecus egregia redduntur morte perennes,
Dum pia diuinis ardeſcunt pectora flammis.

Ex quibus Pierius Val. PHOENICE ſignificari vult diuturnam abſentiam, atque animi noſtri in hoc corpore peregrinationem. At ſupra omnes faciunt Iob verba c. 29. 18. *In nidulo meo moriar & ſicut palma multiplicabo dies:* Hebraica voce *Chol* plerique palmam ſignificant; Tertullianus porrò, cum Lxx. interpretibus, de reſurrectione, *c.* 13. vertit PHOENICEM: *ſicut PHOENIX multiplicabo dies:* Atque etiam in pſalmo 19. Iuſtus vt palma florebit, ſcribit ille Iuſtus vt PHOENIX florebit: Φοῖνιξ quippe apud Græcos & palmam & PHOENICEM indigitat, quo ſenſu Ceratum PHOENICINVM, & Palmeum dicitur quod & Διαχυλάκιτεως & diaphænicum inter repellentia efficaciſſimum. Imò & Lolium murinum, ſiue hordeum murinum, Gallis *Turaye Sauuage*: de quo Dioſcorides c. 4. c. 39. Hæc apud Plutarchum leguntur lib. de Sanitate tuenda: *Cerebrum PHOENICES dulce admodum eſt ſed dolores capitis inducere fertur:* Quod certè non de auis cerebro, ſed de palmæ medulla intelligendum; vtrumque enim τῦ ἐγκεφάλυ nomine a Galeno & Theophraſto appellari, teſtis idoneus mihi eſt, quem vnicè diligo, parens meus. Poſteriori expoſitioni præter Tertullianum fauent Philippus autor Græcus, in catena quam de Iob ſcripſit; Doctoreſque fere omnes Hebrei

brei quos Rabbinos vocant, atque inter eos Rabbi Salomon, deinde Caietanus atque Tigurini Theologi: Priorem porro innuit textus Græcus ὡς στέλεχος φοίνικος *vt truncus palmæ*, quem fruſtra de PHOENICIS oſsibus tanquam volucris trunco Pineda alijque viri doctiſſimi interpretati ſunt. Cardanus. *l.10. de ſubtil.* refert in India auem nomine Semenda, conquiſitis odoriferis arbuſtis nidum ſeu ſepulchrum ſibi parare PHOENICIS inſtar, in quo radijs Solaribus expoſitus incenſiſque lignis alarum percuſsione comburatur. Ex eius deinde cineribus vermem oriri alterius Semenda originem; Quod ipſum a Iul. Cæſ. Scaligero quamuis Cardani acerrimo contradictore, confirmatur, *Exercit.* 223. Perplacet ingenioſa Hier. Ruſcelli interpretatio, *nelle impreſe pie*, quæ de PHOENICE focum alis excitante traduntur ad ignem celeſtem deducentia, quem ſupplex Eccleſia toties implorat: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, &c.*

Fateor me ſumma cum alacritate legentem Illuſtrium aliquot vitas virorũ a Nobiliſs. Brantome gallicè conſcriptas, præclarum quidpiam de PHOENICE obſeruaſſe, Tibi fortaſse gratũ futurũ, Ill. & Exc. Domine Baro de la Garde poſtea *le Capitaine Paulin* vulgò nũcupatus, à Franciſco I. Galliarũ Rege optimo, ad Solimanum Turcarum Imp. legatus miſſus eſt, qui claſſem in Imp. Carolum V. poſtularet. Ea conceſsâ & Præfecto Ænobarbo *Barberouſſe* commiſſa, Legatus in aula Turciæ, *Portam* vocant, remanſit, adeo vt cum Regis ſui iuſſa adimpleret, Solimani gratiam familiaritatemque officijs ſuis aſſequutus ſit. Accidit vt mirandam PHOENICIS pennam ipſi exponeret Imperator, quà multis redimità gemmis ornabatur: Reducem Paulinum irriſerunt aulici Galli talia ventilantem, & pro veris exponentem, nullam eiuſmodi volucrem eſſe aſſerentes, ac ſi foret, captu impoſſibilem, quæ præterea ex notis mytho-hiſtorijs ſeſe combureret. Tum ille: An vobis, inquiebat, ſatis proſpecta ſit Solimani potentia? an venatores eius innumeri ſeu Arabes ſeu Ægyptij ornando ſuo Domino quod rariſsimum eſt non reperierint, aut auem necare nequiuerint? An deſerta ſiluaſque colentes in aliquam volucris pennam incidere non potuerint, rariſsimum ornamentum? Sed de his ſatis.

PHOENICEM viuere annis DC. ſcribit Plinius lib.7.c.48. D. Herodotus l.2. & S. Ambroſius, ex quo Ouidius, xv. metam.

Hæc vbi quinque ſuæ compleuit tempora vitæ.

DL. Solinus, cap. xlvi. Manilius DCLX. MCCCCLX. Tacitus: Nongentos annos Aſonius, ex Heſiodo;

Ter binos deciesque nouem ſuperexit in annos
Iuſta ſeneſcentum quos complet vita virorum.
Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis ſæcula ceruus

Ali-

Alipedem ceruum ter vincit coruus: At illum
Multiplicat nouies PHOENIX reparabilis ales;

Mille vero Martialis, niſi poeticè pro nongentis mille vſurpauerit, l. v. c. VII.

Qualiter Aſſyrios reuocant incendia nidos,
Vna decem quoties ſæcula vixit auis.

Io: Tzetzes annis ſeptem millibus, quod ex Chæremone Ægyptio ſſ. litterarum ſcriba conſtanter affirmat. Illuſtris poeta Dantis teſtimonium hic reuocabo:

Così per li gran Saui ſi confeſſa
Che la FENICE muore, & poi rinaſce,
Quando al cinquecenteſim' anno appreſſa.

De PHOENICIS alimento non minor eſt opinionum varietas, alijs ſolo rore veſci auem affirmantibus, alijs manna, alijs thure, alijs cinnamomi ſucco, pretioſiſsimis ſcilicet naturæ donis, quo famoſiorem vulgarent;

——————— *Nec fruge, nec herbis,*
Sed thuris lacrymis, & ſucco viuit amomi.

inquit Ouidius. Aliter porrò Claudianus in eidil, PHOENIX.

Non epulis ſaturare famem, non fontibus vllis
Aſſuetus prohibere ſitim: ſed purior illum
Solis feruor alit, ventoſaque pabula libat
Thetyos, innocui corpus alimenta vaporis.

Quis enim talia obſeruaſset? Grauiſsimorum virorum autoritate ſtabilitam equidem eſſe PHOENICIS exiſtentiam quodammodo video: At fortioribus adducta rationibus eam planè myſticam atque fabuloſam mihi perſuaſum eſt. Omiſsis in hanc rem quæ de eius longæuitate perhibentur, ac præcipuè anni Solaris aut Lunaris differentia, phyſiciſque argumentis, illam ſolis logicis abſurdam eſſe patet. PHOENIX quippe ad infimam aliquam ſpeciem referretur: hæc autem dicitur quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, ſiue de pluribus indiuiduis, vt homo de Platone, Socrate, Alcibiade. At plura indiuidua PHOENICIS non ſunt. Præterea ex Geneſeos capite 7. patet volucrium in arcam Noè ingreſſorum bina fuiſſe ſeptena, maſculum & fœminam, quod cum ſolitario PHOENICE non concordat. An de tanta tamque famoſa aue ſiluiſſet Ariſtoteles, in incomparabili ſua animalium hiſtoria, ſi ipſam exiſtere putaſſet, vt Diodorum Siculum, Strabonemque prætereum, Arabiæ, Ægypti, Indiæque ſcriptores diligentiſsimos. Præſtat itaque monſtroſum hoc animal inter fabularum figmenta reponere, quæ ab Ægyptijs inuenta, à Græcis deinde recepta, ad Romanos noſque tamdem dubia peruenere, non ſecus ac hippocentauros, ſphynges, chymeras, pegaſos,

gaſos, harpyas, hydras, ſirenes aliaque id genus.

Ex Lucretio,

Huc accedit vti in ſumma res nulla ſit vna
Vnica, quæ gignatur, & vnica ſolaque creſcat.

Ridicula itaque cenſeatur quæſtio, in Archimede Chriſtiano l. 1. c. 3. §. 4. enucleata, *Quiſnam cibi bolus omnium fuit a mundo condito optimus & delicatiſſimus, aut per vnionem Cleopatræ, aut per Mauſoli Regis cineres, aut per integrum Phenicem a quodam vt ille narrat Imperatore vno prandio abſumptum, aut per manna cibum δωδεκαθεὸν, aut per Adami pomum, reſoluta.* Cùm hæc plus curioſitatis ne dicam vanitatis contineant quàm veritatis.

Neque id Sacræ Scripturæ aut SS. Patrum teſtimonijs refragari eſt; Sacer quippe codex dum φοίνικος verbo vſus eſt, palmæ vt ſupra dictum eſt mentionem facit, non volucris. Ita docente vulgata Bibliorum verſione, catholicæ Eccleſiæ præceptis ac præcipuè Tridentini Conſilij decreto, ſeſs. 4. approbata. Tertullianum præterea, alioſque Eccleſiæ Antiſtites PHOENICIS comparatione vſos fuiſſe nihil vetat indigitandæ Gentibus futuræ reſurrectionis opinioni, quam pridem de illa aue conceperant, & ſi eam exiſtere, ipſi, aut non crederent aut minus curarent. Nonne D. Auguſtinus, *Si tamen vt creditur de ſua morte renaſcitur &c.* de quo plura, *de ciuit. Dei.* Ex ea immenſi myſterij imaginem adumbrare placuit, quam iam vſu Gentes receperant, ſi non ducto ad probandum argumento, ſaltem inducendo, corporum reſurrectionem non eſſe impoſsibilem. Sic Pelicanus paſſim prædicatur qui pectore aperto, ſanguine ſuo pullos enutriret, alluſione facta ad Chriſtum S.N. ſanguine ſuo fideles enutrientem. Nimia certè forem ſi omnes PHOENICIS ad Chriſtum alluſiones recenſerem. P. Bercherius, *in reductorio morali c. 33.* de PHOENICE, in ijs fere totus eſt, quæ quod planè theologicæ ſint, lubenter omitto. Ex S. Cæciliæ actis, in M.S. codice Vaticano, colligitur eadem PHOENIX reſurrectionis ſymbolum fuiſſe: cuius hæc ſunt verba. *Quem Maximum S. Cæcilia virgo, Valerianum & Tiburtium ſepeliuit in nouo ſarcophago, & iuſſit vt in ſarcophago eius ſculperetur PHOENIX, ad indicium fidei eius qui reſurrectionem ſe inuenturum, exemplo PHOENICIS ex toto corde ſuſcepit.*

Nolim prætermittere PHOENICE a Chimicis ſignificari elixirem alchymicum, Baſiliſcum, aliaque iſtius artis medicamenta, quarum raritate atque barbarie faciliorem eſſe fraudibus impoſturiſque locum certam me fecit ſæpius Parens meus.

Egregij ſunt illi tres nummi PHOENICEM repreſentantes, FELICIS TEMPORVM REPARATIONIS ſymbolum: Vt enim me do-

docuit Parentis mei liber de Impp. Rom. numiſmatibus, *pag.* 472. ex Horo Apolline, Inſtaurationem quæ poſt multa fiebat ſæcula, volentes indicare PHOENICEM, auem pingebant: Sperabant quippe Conſtantini M. filij, Conſtantinus iunior, Conſtantius, & Conſtans, quorum iuſſu hi nummi ſignati ſunt, Imperij Romani tranquillitatem atque Sacro-Sanctæ Religionis Chriſtianæ perennitatem ſua opera inſtauratam iri.



Quin & eadem PHOENICE, ÆTERNITATEM deſignauerunt, qualis in aureo nummo illoq; rariſſimo Traiani occurrit, ramum oleæ tenens, cuius ectypum publici iuris fieri permiſit Excell. D. Marci Procurator Marcus Ruzinus, harumce deliciarum locupletiſſimus poſſeſſor. Occurrit etiam paſſim in nummis aureis argenteiſque Fauſtinæ



AEquatur toto capiti radiata corona
Phæbei referens verticis alta decus.

inquit Lactantius, *in carmine de PHOENICE*: Hinc Solis ſimbolum ab Horo pingitur *in hieroglyph.* Hinc Solis imago ab Achille Tatio nuncupatur, & *Titanius ales* à Claudiano. Hinc *auis æterna* vulgò perhibetur, *AEternam ne perdat auem*, apud Claudianum, *quæ viuit morte refecta ſua*.

Maius negotium faceſſit nummus alter maximi moduli ex muſæo Em. Cardinalis Carpegna, Conſtantinum Magnum referens, in cuius auer-

auerſa facie globus cum PHOENICE radijs ornato a milite trophæū gerente, ſedenti Imperatori traditur: An Orbis Romanus à Conſtantino regendus eo ſymbolo repræſentatur, cuius reſtauratum ſplēdorem indicat Auis æterna, a Criſpo è Germania poſt ampliſsimam victoriam reduce, Patri oblata? An nūmus a Conſtantini M. filijs in honorem Parentis mortui cuſus ſit? Liberum cuique permittatur iudicium; neutrum enim certò conſtat.



Eò reuocarentur celebres illæ controuerſiæ de baptiſmo Conſtantini, eiuſque ſanguinis lauacro, & de Romæ donatione, a quibus vt grauiſſimis, vires ſtudiaque mea ſuperantibus, abſtinere animus eſt: Porrò tanta erat iſtius Imperatoris pietas, vt hanc ab Auguſtis filijs vulgatam, & ad poſteros numiſmatibus omniſque generis monumentis tranſmiſſam, nullum mihi ſuperſit dubium.

Quis autem ſibi iure perſuaderet Chriſtianum fuiſſe cuius cultus erga inania Paganorum numina perſpectus omnibus manifeſtuſque fuit. Nonne Conſtantini M. numiſmata Iouem, Serapidem, Martem, alioſue eiuſmodi dæmones celebrant, nullo prorſus exſtante quod aut Chriſti ſeruatoris, aut ſacroſanctæ religionis noſtræ mentionem faciat. Omnibus notum eſt Chriſti oraculum, à S. Mathæo relatum, Euang. cap. 10. v. 33. *Qui autem negauit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt.* Proximè ſequuta ſunt teſtimonia ampliſsima quorum vi patet eius filios Conſtantinum iuniorem, Conſtantem, & Conſtantium, non modo Chriſtianis fauiſſe, quod de Conſtantino M. certum eſt, verùm & Chriſtianam religionem profeſſos fuiſſe. Magnentium Decentiumque in nummis expreſſos videmus cum ſacro Chriſti monogrammate characteribuſque A & Ω, SALVTEM eorum in Chriſtianæ religionis exercitio conſiſtentem deſignantibus. Quam arridet ille Conſtantij nummus, in quo crux de antea-

ctis ſæculis, poſteriſque triumphare videtur, cum hac epigraphe, IN HOC SIGNO VICTOR ERIS, quod etiàm græca quædam inferiorum ſæculorum numiſmata referunt, ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. Mihi etiam tenellæ ætatis ita pretioſus fuit ille typus, vt Te audeã precari, Illuſtriſ. & Excellentiſs. Vir, eius imaginem ex antiquo meo nummo deprompeam hic conſignari.



Cur & à quibus PHOENIX in nummo Caracallæ expreſſa ſit, non facile eſt determinare: Veſano Imperatori adulatores populos quidquid egregius aut rarius habuerint, conſecraſſe, veriſimile eſt: Quid autem aut pulchrius PHOENICE, aquilam ipſam ſuperante, aut rarius, cùm animal ſit in toto orbe vnicum, ζῶον μοναδικόν. Adeo vt duobus adagijs locum dederit hæc raritas, à bono Eraſmo commemoratis, PHOENICE RARIOR, ΦΟΙΝΙΚΩΣ ΣΠΑΝΙΩΤΕΡΟΣ pro rebus perquam raris: quod etiam de vera amicitia interpretabatur Præceptor quidam meus. Deinde NI PHOENICIS ANNOS VIXERIS, ΗΝ ΜΗ ΦΟΙΝΙΚΩΣ ΕΤΗ ΒΙΩΝ, apud Lucianum, *in Sectis*, Quibus & id lubet adijcere, PHOENICIS IN MOREM REVIVISCERE, ΚΑΤΑ ΦΟΙΝΙΚΑ ΑΝΑΒΙΩΣ ΛΕΣΘΑΙ.

Nummi detrimentum Oëdipo indiget longe oculatiori quàm ego ſim. Quid enim ex ΚΑΕΩ .... conijci poteſt. Conſultus hac de re Parens meus, de ipſa voce dubitabat; an principium nominis vrbem aut populum deſignantis? an eiuſdem finis addito N: cuius exemplum ſuppeditarent nummi ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, ΑΡΟΧΕΩΝ, ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ, ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ, Quibus etiam *Αι* pro Ε ſubſtituto ΝΙΚΕΩΝ pro ΝΙΚΑΕΩΝ, ΦΩΚΑΕΩΝ & ΦΟΙΝΕΙΚΑΕΩΝ, hoc ipſo ad PHOENICEM alludente. In re plane obſcura certè conjicere licet: donec integriore nummo veritas eluceſcat. At interim ſupra quaslibet conjecturas mihi placebit hiſce characteribus *κλεω*..... intelligi Cleopatridem ciuitatem ſeu Arſinoem, de qua Stephanus, *de vrbibus*: Arſinoe ſexta Ægypti vrbs in Delta Ἀρσινόη ἕκτη τῆς Αἰγύπτου πόλις ἐπὶ τοῦ Δελτα, quam Strabo *c.* 17. Cleopatridem nuncupat, quamuis alibi Cleopatridem in Arabici ſinus verſus Ægyptum receſſu collocet, vt & Plinius *l.* 5. *c.* 11. Salua enim eſt ſuperſtitum characterum ratio,

lo-

ſocuſque conuenit, qui partam aut PHOENICIS tranſitu aut ſepultura gloriam, Caracallæ conſecrauerit. Per eum quippe inquit Aur. Victor, *Ægypti Sacra Romam deportata ſunt*, cuius beneficij fortè memores Ægyptij, ſuæ auis æternæ tunus nummo eius inſculpſerunt. Et quoniam plureſque ſcriptores de PHOENICE verba facientes, Heliopoleos meminerunt, hanc triplicem fuiſſe in præſentiarum declarare neceſſarium duco: Prima fuit Vrbs Ægypti quam Solis vrbem ſeu ΗΛΙΟΠΟΛΙΝ incolæ dixerunt, Thebas Græci, & Memphima poſteri, de qua Homerus, *Iliad.9.* Diod. Siculus, *hiſt.lib.1.* & Herodotus *lib.2.* Altera HELIOPOLIS eſt Corinthus, alter Græciæ ocellus, cuius innatantem aquam Sol exſiccauerat, de qua conſulatur Diodorus *lib.5.* Tertia demum eſt *HELIOPOLIS Phœniciæ, Libano monti propinqua Libanotidarum, ſeu fœminarum formoſiſſimarum patria*, vt ampliſsimè declarat Anonymus quem vulgauit Gothofredus *in Exegeſi totius mundi*, § 10.

Et PHOENICIS nummum antiquum illuſtrare mihi videbor, ſi recentiores aliquot eodem typo inſignitos recenſuero: Ingenioſa epigraphe inſcriptos aliquot obſeruaui, quorum mentionem hìc Tibi fieri patiaris, Ill. & Excell. Vir, animum tuum vt opinor delectaturam.

SOLA FACTA SOLVM DEVM SEQVOR. Ex nummo Bonæ Sabaud. matris Io. Galeatij Mediolanenſis Ducis.

VNICA SEMPER AVIS. Ex nummo Eleonoræ Regis Franciſci I. viduæ.

VT VIVAM. Ex nummo Cardinalis Madruccij, Epiſc. Tridentini.

V.E.V. VITAM ETERNAM VIVO. Eiuſdem.

VITA MIHI MORS EST. Ex Ioach. Camerario.

PERIT NE PEREAT.

VRITVR VT VIVAT.

RARA CINERE RARVS. Ex nummo Caroli Valeſij, Caroli IX. Francorum Regis filij.

SIC IVVAT VRI.

SE NECAT VT VIVAT. Ex nummo Andreæ Battori, Cardinalis.

EX FVNERE FOENVS.

INDE VIVAM VNDE CRVCIOR.

BVSTVMQVE PARTVMQVE.

POST FATA SVPERSTES.

VIGET IN CINERE VIRTVS. Ex Io. Bapta Ruſca.

EADEM NON EADEM.

VIVO EGO IAM NON EGO. S. Paulus ad Galat. 2.20.

CVPIO DISSOLVI. S. Paulus ad Philipp. 1.23.

NON INVENTVS EST EI SIMILIS. Eccleſiaſt.

MVL.

MVLTIPLICABO DIES. Ex Paulo Areſio.
MORO TACENDO ET NEL MORIR RINASCO.
MI FA BEN CHE MI NOCE.
DA LE CINERI MIE MI SVEGLIO E VOLO.
NON D'ALTRO ARDOR CHE DEL CELESTE AVAMPO.
E ROGO INSIEME E CVLLA
TROVA SOL NE I TORMENTI IL SVO GIOIRE.
DA LA MIA MORTE ETERNA VITA IO VIVO.
DAL MISMO MI MVERTE Y MI VIDA.
ΘΝΗΣΚΩΝ ΟΥΚ ΑΠΟΘΝΗΣΚΩΝ, *Moriens non moriens*.

Hæc ſunt, Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domine, quæ tum ad patefaciendum meum in res antiquas amorem, tum etiam ad declarandam meam erga Te obſeruantiam ſcripſi, Patauij, kal. Iul. MDCLXXXIII.

82-132943-1

SPECIAL [illegible]
[illegible]-1

GETTY CENTER LIBRARY